Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Müller

Orator Ecclesiasticus : Sistens, praeter Methodum Concionandi, complures alias materias Theologicas, item explicationem variorum dictorum Biblicorum

Editio secunda priori correctior, Rostochii: Rostochii: Wilde: Kilius, 1670

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730151751

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

UB
Rostock

Fk
1082

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730151751/phys_0001
DFG

IK 1082.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730151751/phys_0002
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730151751/phys_0003
DFG

ad Caps. Theologic. mecrl. 45.

ORATOR ECCLESIASTICUS,

Sistens, præter Methodum Concionandi, complures alias materias Theologicas, itèm explicationem variorum dictorum Biblicorum.

exhibitus

à

D. HENRICO Müllern/
Theol. Prof. & Pastore Mariano,

Editio secunda priori correctior

ROSTOCHII,
Impensis JOACHIMI Wilden/
Typis JOHANNIS KILII, Universit. Typogr.
ANNO M. DC. LXX.

T. K. 1082.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730151751/phys_0005
DFG



SERENISSIMO AC CELSISSIMO

PRINCIPI ET DOMINO,

DOMINO

GUSTAVO ADOLPHO,

DUCI MEGAPOLITANO,

PRINCIPI VETUSTÆ GENTIS HENETÆ, SWERINENSI ET RATZEBURGENSI, COMITI SWERINENSI, ROSTOCHII ET STARGARDIÆ DYNASTÆ,

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730151751/phys_0007
DFG

SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME,

CUr hic ORATOR meus ad *Tuæ Sereniß. Celsitudinis* pedes humillimè seſe prosternat, cauſæ ferè ſunt innumeræ, quas omnes ad unguem jam recenſere nec fas eſt, nec neceſſe.

Debentur ſanè *Sereniſſimo Tuo Nomini* omnes illi partus, quos in Academia *Tua*, ſub Patrocinio *Tuo* clementiſſimo, enitimur. Debentur omnes iſti labores, qui ſub *Gratiæ Tuæ* auſpiciis tàm feliciter procedunt. Debentur *Favori Tuo* ampliſſimo, quo Muſas noſtras Balthicas complecteris. Debentur ſtudio illi indefeſſo, & ubique terrarum celebri, quo in fovendâ pietate, & promovendâ omni literaturâ, noctes diesque deſudas. Debentur *Virtutum Tuarum* ſplendidiſſimo Exemplo, quæ, quot, & quantæ in *Serenitate Tuâ* fulgeant, malim ſilentio mirari & ſuſpicere, quàm, ut quondam de Auguſto dicebat Svetonius, parcè & jejunè attingere. *Serenitati Tuæ*

ti Tuæ id omne debetur, quod à quoquam noſtrûm proficiſci poteſt.

Debetur & hic meus ORATOR ECCLESIASTICUS *Auguſtiſſimo Tuo Nomini*, cui nempe & Rhetores ſunt in deliciis, & Religio cordi; cujus quantum heroicas dotes admiror, tantùm Gratiâ ut lætari contingat, in votis habeo; imo, cui inprimis hoc nomine devinctus ſum, quod ante ſexennium *Ejus Serenitatis* gratioſiſſimo, non tantùm adſpectu, ſed & alloquio frui datum fuit. Politica me tunc offerentem mea, *Celsiſſime Princeps*, clementiſſimis exhilarâſti promiſſis, conatusque meos exiles *Serenitati Tuæ* haud diſplicere Vultu & Ore, Gratiam meram ſpirantibus, declarâſti.

Patere etiam nunc, *Sereniſſime Princeps*, ut ORATOR hic meus ſub *Clementiæ Tuæ* alis ſecurus quieſcat, & adverſùs obtrectatores quoscunque *Celsiſſimi Tui Nominis* præſidio ſe tueatur: quem in ſe ſi ſpectes, obſervabis exiguitatem; ſin animum meum, unde promanat, affectus debiti & ſubmiſſiſſimi amplitudinem. Dignare, ut tantùm inter otia & ſucciſivas, ſi non perlegatur, perſpiciatur tamen, & *Sereniſſimis Tuis* teratur manibus.

Ego viciſſim, quod unum poſſum, vota precesque, quæ ab ipsâ etiàm infirmitate pondus habent, ad DEUM immortalem fundam, ut *Sereniſſimam Tuam*

Celsitudinem, cum totâ *Domo Serenissimâ*, publico Reipublicæ & Ecclesiæ bono, longùm sospitet, curas omnes & consilia secundet, mala, si quæ fortè imminent, clementèr averruncet, ac tandèm post Nestoreos & felices hujus vitæ annos in splendidissimam beatorum sedem evehat. ô fiat! fiat!

T. Serenissimæ Celsitudinis

Dabam Rostochii
Domin. Quasim.
Anno 1659.

cultor humillimus

HENRICVS Müller/ D.

METHO-

METHODUS CONCIONANDI

PARS GENERALIS

CAP. I.

DE INVENTIONE.

§. 1.

OBjectum Oratoriæ Ecclesiasticæ est *Oratio*: nobis hoc loco ad nostrum propositum *Concio*. Concio est Oratio ex verbo DEI, fidem vel mores spectans & ad suasionem directa.

§. 2. Consideratur Concio, *vel* ut formanda, *vel* ut habenda.

§. 3. Ad formationem pertinent Inventio & dispositio: *illa* res tractandas suppeditat; *hæc* ordine suo aptè locat.

§. 4. Inventio *vel* spectat textum, *vel* thema ex textu eruendum, *vel* argumenta themata probantia, illustrantia & amplificantia.

§. 5. Textus *vel* est Biblicus, *vel* Ecclesiasticus, prout materiam vel Biblicam, vel Ecclesiasticam exhibet.

§. 6. Textus Biblicus *vel* est fixus, *vel* arbitrarius.

§. 7. Circa selectionem textus arbitrarii sequentia notanda veniunt porismata. 1. Canonicos antetferendos Apocryphis, quia divina efficaciâ & autoritate pollent, ac per se fidem generant in animis auditorum. 2. Res Ecclesiasticas rarius, & non nisi in casu extraordinario pro concione explicandas, idq; præmisso textu Biblico, qui ejusdem sit tenoris. 3. In electione textus arbitrarii considerandum, quæ materia tempori maximè conveniat, præprimis si Ecclesia

sia laboret insigni aliquo malo vel circa fidem, vel circa mores. 4. seligendum esse textum præ theoretico practicum: hoc enim & tutius, & majori cum fructu conjunctum. 5. Seligendum esse textum justæ quantitatis, id est, nec brevem nimis, nec nimis prolixum. Si enim nimis brevis, ostentare velle ingenium videtur apud auditores Concionator, nisi vel copia, vel difficultas conspicua ab illa suspicione eum statim liberet. Si longus nimis, vel tempus lucrari velle, vel singula emphatica aut noluisse, aut non potuisse enucleare videtur.

§. 8. Res Concionis suum Inventionis fontem habent præprimis codicem Biblicum. Studebit E. Orator Ecclesiasticus, ut ex eo in singulos textus quàmplurimas habeat meditationes, & varios ac diversos animi conceptus, qui tamen sponte ex textu fluant, & suâ naturâ quasi ad scopum textus tendant.

§. 9. Lecturus sacram scripturam sequentia observet.

I. Seipsum abneget (1) Sapientiam suam, ne facem ipse suam in Lucernam verbi divini inferre præsumat; sed ita cor suum paret, ut rasæ instar tabulæ sit, cui Spiritus S. veritatem inscribere queat (2) laudem & utilitatem suam, ut nihil nisi DEI gloriam, proximiq; ædificationem sibi propositam habeat, secus ac ii, qui id agunt, ut subtiliter de scripturis disputantes laudem venentur, virique acutissimi passim audiant. Experientiâ constat, istiusmodi scripturæ lectores Diaboli sæpius laqueis irretitos fuisse, variisq; erroribus occupatos.

II. Lecturus scripturam assiduè Deum anhelis votis invocet, ut is gratiâ Spiritus S. efficiat, quò ad genuinam verbi intelligentiam pertingere valeat. Lutheri verissimum hoc est; *Scripturæ liber librorum omnium sapientiam evacuat, ideo de tui ingenii acumine in percipienda hujus libri sapientia, penitus desperа; flexis verò genubus in vera humilitate seriò Deum precare, ut det tibi Spiritum, qui te illuminet.* *præfat. tom. 1. operum Germ. Jen:*

III. Lectioni meditatio juncta esse debet. Hæc enim format Judicium, & quæ leguntur in succum & sanguinem convertit; ad meditationem autem requiritur *tùm* animus à curis & distractionibus liber, *tùm* mens defœcata & sobria

IV. Meditationem comitatur tentatio, quæ non solùm docet scire, sed etiam sentire & experiri certitudinem, suavitatem & ef-

& efficaciam verbi lecti, de qua experimentatione practica intelligenda, sunt verba Davidis *Psal. 34. v. 9.* Nihil tam validè penetrat cor auditorum, quàm ex corde dicentis quod prodit: Ideo omnium efficaciſſimè docent, qui doctrinæ ſuæ experimenta habent in ſemetipſis: Unde fere fit, quòd, quò præſtantiores ſunt Concionatores, eò plures ipſi deguſtarunt tentationes, quæ ſermonem ipſorum animant.

V. In lectione ſacrarum literarum omnia ad Jeſum Chriſtum tanquam unicum finem referenda ſunt: utriusq; enim & legis & Evangelii ſumma Chriſtus eſt: quæ dicuntur ſine Chriſto, putamina ſunt ſine nucleo.

VI. Interpretationis ſcripturæ norma eſto analogia fidei *Rom. 12. v. 6.* Ad hunc Lydium lapidem probanda omnis interpretatio, & videndum utrum cum articulis fidei conſentiat; quicquid cum iſtis pugnat, meritò ſuſpectum habetur.

VII. Scriptura charitati erga Deum & homines congruenter explicanda eſt *V. G.* quando Chriſtus ait *Matth. 5. v. 34. Non jurandum omnino*; ſi hæc verba eò rapere velis, ut inde inferas, homini Chriſtiano ne in magnis quidem gravibusq; cauſis, adhibitâ etiam debitâ nominis divini reverentiâ, ad finem litibus imponendum, juramentum licitum eſſe: non exiguum inde charitas Chriſtiana incommodum acceptura eſſet.

VIII. Scriptura per ſcripturam explicanda eſt, ſepoſitis etiam doctiſſimorum hominum commentis, *V. G.* ſermo Chriſti, *ne jurate omnino*, per ſequentia verba, *neq; per cœlum, quia thronus Dei eſt, neq; per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus*, explicatur. Hinc enim apparet, voculas NE, OMNINO, ad varias duntaxat temerè jurandi formulas reſtrigendas, non autem tantundem valere ac *nunquam*.

IX. In expoſitione Scripturæ nullum teſtimonium alio ſenſu proferendum, quàm eo, qui ab autore fuit intentus, quemq; nativus loci ſcopus ſuppeditat, niſi forte doctrina quæpiam ſatis firmiter & clarè ex verbis loci illius eliciatur. Peccant hic ij, qui ſacris literis alienum ſenſum affricant, & ea exinde deducunt, quæ minimè deducenda erant. Ut quando Cardinalis Polus ex verbis Chriſti ad Petrũ *Luc. 5. v. 10. Ab hoc tempore vivos homines capies*: hoc piſcari co-

natur; Papæ Romano omnia Regna terræ jure divino subjecta esse.

X. Ut autem sacrarum literarum lector genuinum Scripturæ sensum penetret, seriò ipsi attendenda erunt in Orationis contextu, tùm antecedentia, tùm consequentia; circumstantiæ item personarum, locorum, temporum, ut sciat, quis loquatur & cui, & quo animo, fine, tempore, loco. Christus longe aliter loquitur de lege ad fastuosos hypocritas, quàm ad humiles & depressos animos. Beneficio hujus regulæ harmonica fient, quæ aliàs contradictoria videri possent *V. G.* Parentes charitatis affectu prosequendos; eosdem tamen vi mandati Christi odio esse habendos.

XI. Scripturæ Interpres ritè distinguat inter causam & effectum. *V. G. Luc. 7. v. 47.* Christus ad Simonem de Maria dicit, *remissa ei sunt peccata multa, nam dilexit multum.* Hinc Pontificii Charitatis meritum inferunt, cùm tamen satis manifestè liqueat, remissionem peccatorum causam fuisse, & non effectum dilectionis, Ly QUIA in *h. l.* non est causa cur res sit, sed causa cur cognoscatur: non est causa consequentis, sed consequentiæ, qualis est deductio conclusionis ex præmissis. Sic dicimus, Ibi est ignis, quia est fumus, cum tamen fumus non sit causa ignis. Sic ancilla dicebat Petro, *Tu es Galilæus, quia sermo tuus te prodit.* Sermo ille non erat causa cur Petrus esset Galilæus, sed indicium.

XII. Ut Interpres genuinum Scripturæ sensum indaget, diligenter attendat (1) ad nativam vocum significationem, an propria sit an tropica? (2) ad linguæ Idiotismos, qui ad pleniorem rerum cognitionem viam sternunt, V. G. Gen 2 v. 17. *Quocunq; die comederis, moriendo morieris.* Ex Idiotismo linguæ Hebrææ hanc formo Regulam. *Verbum Activum non præcisè actum, sed nonnunquam qualitatem significat.* Beneficio hujus regulæ sic infertur: Quocunq; die comederis, mortalis, seu morti obnoxius eris. Non ergo est, quod quisquam inquiat, Adamum eâ die, quâ comedit vetitum fructum non esse mortuum. Imò, eâ die mortuus est, morte quidem non completa, sed inchoatâ. Vita hominis post peccatum mortis est continuatio: hâc ipsâ die dono immortalitatis corpus est spoliatum, est traditum morti atq; corruptioni, alligatum est malis & incommodis, tanquàm mortis apparitoribus; & hoc ipso momento eo-

to cœpit mors obversari ejus oculis, hac ipsâ die hominem mortis reum pronuntiavit Deus: capitis autem damnatus habetur pro mortuo licet ad tempus differatur supplicium. Sic Act. 14, 13. ad hæc verba. *Sacerdos autem Jovis tauros & coronas adduxit*: per idiotismum Hebræum sic infertur, *tauros coronatos*. Nam apud Hebræos Nomina duo substantiva conjunguntur nonnunquam sic, ut alterum Adjectivi vicem sustineat. Certè qui στέμμασι ad *tauros* referunt, non *deos*, meo judicio hauterrant. Minutius in Octavio; *Victimæ ad supplicium fraginantur, hostiæ ad poenam coronantur.* Diodorus Siculus lib. XVI. de Apolline Pythio; Εσήμαινεν ἐν πανηγύρει τῶν Ἑλλήνων θυσίαις φίλιππον ὥσπερ τὸν ταῦρον ἐστεμμένον σφαγήσεσθαι (3) Ad vocum & phrasium emphasin, quæ singulare & excellens quid continet, V. G. *Esai*: 9. הָעַלְמָה certam & excellentem notificat virginem.

XIII. Nemo E. ad sacra Biblia legenda accedat, nisi cognitionem ad minimum idealem habeat linguarum & idiotismorum, & quidem (1) linguæ Hebrææ V. G. Gen. 3. 16. *multiplicabo dolorem tuum & conceptum*, id est, *dolorem conceptus tui.* Hebræorum enim Regula est; Duorum substantivorum per copulam ו junctorum posterius recti casus vicem nonnunquam sustinet. (2) Chaldææ, V. G. Dan: 3. v. ult. *Cum generatione & generatione*, id est, Juxta Idiotismum Chaldæum; *cum singulis generationibus*; nam repetitio vocum ejusdem radicis distributionem sœpius infert. (3) Syriacæ V. G. 1. Tim. 6, 15. *Rex Regum, Dominus Dominantium*, secundum Idiotismum sic effertur, *summus Rex & excellentissimus Dominus.* Nam substantivum seipsum, vel aliud ejusdem notionis regens, ἄυξησιν & superlativam significationem infert. Sic *Matth. 21. v. 25.* occurrit Syrismus, quando Cœlum pro Deo ponitur. (4) Arabicæ, cujus singularia ad unum omnia congessit Höttingerus in Smegmate linguarum Orientalium. (5) Persicæ, sine cujus intelligentiâ vix ullum in Daniele caput explicari potest. (6) Græcæ V. G. *Matth. 28. v. 1* ὀψὲ Σαββάτων, malè vertit Vulgatus, *vespere Sabbathi*, contra *Marc 16. 2.* ex ignorantia Græcæ linguæ, quæ talem formatregulam: Ὀψὲ cum Genitivo constructum notat temporis effluxum. Hinc rectè Lutherus; da der Sabbath vergangen war / præeunte Marco loco citato. Nempè cum nostro sermone *vespera* & *mane* nihil sint quâm extrema

extrema diei artificialis à se invicem multum dissita: vespera & mane *Gen.* 1, 5. proponuntur ut integrantes naturalis diei partes, quæ totam conficiunt: *Et fuit vespera, & fuit manè, dies primus.* Hinc totum νυχθήμερον *Dan.* 8, 14. *vocatur* ערבבקר *vespera-mane.* Et eadem vox נשף ὀψέ redditur *Es.* 5, 6. & πρωΐ *Job.* 7. 4. Apud Mattheum ergò ὀψὲ fortassis non præcisè *vesperam* sed *noctem* in genere significat, eamque jam recedentem, ut illucescenti auroræ locum faciat. Huc faciunt illa Gellii *lib. VII, c. 21. Tempora duo, cum inter se opposita sunt, atq; ità cohærentia, ut alterius finis cum alterius initio misceatur, non refert utrum per extremitatem prioris, an per initium sequentis locus ipse confinis demonstretur.* (7) Latinæ, volunt enim in scriptura imprimis N. T. etiam Latinismos inveniri V. G. *Luc.* 12. *v.* 58. δὸς ἐργασίαν, *da operam.* Beza Latinismum statuit. Heinsius Hellenismum. Dieu Arabismum; Salmasius Syrismum. Huc refer voces δηνάριον, κεντυρίων, κήνσος, κοδράντης, κουστωδία *Videatur* Drusius.

lib. 6. præteritorum.

XIV. Lecturus fontem V. T. investigato per viam meditationis, & consequentium collationem cum antecedentibus, totius capitis nucleo, ad singulos versus progrediatur; inque iis imprimis quærat terminatorem. Est autem ille duplex, unus definitivus & essentialis, qui ponitur in ipso versu, eumque formaliter terminat; estque linea parva in omnis versus ultima voce, & vocatur Accentus regius, Silluc. Alter discretivus & extraessentialis, qui discernit versum à versu, vocatur *soph pasuk*, seu finis versus Biblici. Deinde attendat, quomodo versum in membra debeat distinguere. In libris Prosaicis quærat Accentum Atnach, qui versum æqualiter dividit in duo membra. Datâ g. sectione versus Prosaici in membra, danda porro erit sectio membrorum in incisa, adeoque attendendum ad Accentus Prosaicorum incisorum distinctivos, quorum 4. reperiuntur, Rebhia, supra vocem positum, Sakephkaton & Sakeph gadol. In Metricis, si versus sunt majoris quantitatis, primum membrum facit Jethib mercatum: Si minoris, Athnach. Quando autem in uno versu reperiuntur & Jethib mercatum & Athnach, tunc prior determinat membrum primum versus, posterior incisum primum membri secundi. Terminativi incisorum in metricis

sunt

sunt 4. Accentus. 1. Sarcka purum, 2. Rebhia purum, nisi immediatè antecedat Jethib mercatum. 3. Schalschelet. 4. Rebhia Gereschatum. His ordine collocatis, in singulis incisis post grammaticam vocum explicationem attendendum subjectum, Prædicatum, & Prædicati cum subjecto connexio; ita omnis difficultas per Dei gratiam exspirabit.

XV. Nunquam admittendus est sensus Orationis Tropicus, nisi cogat vel contradictio manifesta, nullâ aliâ ratione conciliabilis, vel simplicis sensus certa absurditas V. G. *Luc.* 19, 44 in verbis Christi, *non manebit lapus super lapidem*, ὑπερβολὴ agnoscenda est, quæ destructionem urbis nimium quantùm exaggeret.

XVI. Scripturæ Interpres nec Scripturam in Allegorias transformet, ut misso sensu literali mysticum sectetur, nec Allegorias, quibus Spiritum S. in scripturis usum videt, longiùs trahat quàm ipsius Spiritus S. scopus permittit.

XVII. Scripturæ lector sedulò attendat, ne dividenda componat, & composita dividat, quæstiones distinctas permisceat, accidens & substantiam, causam *per se* & *per Accidens* confundat; principium petat; signum pro signatis accipiat, & Orationis terminum longiùs extendat, ac scopus patitur.

§. 10. Bibliis addi possunt Scripta Patrum, bonorum itidem Interpretum Theologorum tam theoreticorum, quam practicorum, quatenus ea cum Scriptura concordant, nec tamen nisi parcè & cum judicio pro Concione citanda, idque in lingua vernacula. Inter Patres palmam in hoc genere præ aliis ferunt Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Bernhardus. Moralistæ ex nostratibus sunt Lutherus, Chemnitius, Arndius, Balduinus, Gerhardus. Ex Pontificiis Berchorius, Drexelius, Labatha, Franciscus de sales, Granatensis, Faber, Didacus de Stella.

§. 11. Quomodo autem hæc colligenda, & in ordinem redigenda, ut Concionator penu habeat, ex quo pro re natâ & brevi tempore Concionem formare possit, prolixè docet Hülsemannus. *in Method. concion. cap. V.*

§ 12 Ad locos Inventionis referimus pias meditationes, quæ realium suppeditant plenum thesaurum. Sæpius enim insignis aliqua cogitatio integram & copiosam suggeret Concionem. Namq. multò plus verba Scripturæ habent in recessu, quàm in fronte, & sub corti-

cortice literæ ingentia altaque mysteria latent: meditanti per DEI gratiam omnia plana. Notamus autem hic, præclaras cogitationes longo usu & experientiâ comparari, & esse singularia Spiritus S. dona, quibus abundant ii Theologi, qui variis tentationibus sunt probati & confirmati. Sobrietas pia & devota nunquam cultores suos destituit.

§. 13 Textus E. universæ Concionis radix, Basis ac norma esse debet, sic ut concio fluat ex textu, tanquam principio; versetur circa textum, tanquam objectum, & respiciat textum, tanquam scopum.

§. 14. Sic constituto textu, investigandum est Thema seu subjectum principale, quod in textu continetur: ubi notanda veniunt hæc duo axiomata. 1. Non constituendum est Thema à scopo textus alienum. 2. Si autem textui plura Themata insunt, curandum, ut ne sententiæ heterogeneæ confundantur, aut sub unum thema violenter contorqueantur, sed ut singulæ sub unum thema relatæ, debito loco atq; ordine tractentur.

§. 15. Thema per argumenta, si simplex est, illustratur, si compositum, probatur & amplificatur. Inventioni autem argumentorum præter Theologiam inservit præprimis Logica & Rhetorica.

CAPUT II.

DE LOCIS INVENTIONIS LOGICIS

§. 1.

QUando Orator thema per locos Inventionis vult vel deducere, vel ex iis illustrare, vel probare, attendat an *res* sit, an *persona*, quæ in themate tractatur: alia enim loca à Dialecticis assignantur rebus, alia personis.

§. 2. Personarum loci sunt 1. Patria 2. Parentes & majores 3. sexus 4. nativitas 5. in quibusdam vaticinia præcedentia. 6. fratres & cognati 7. educatio & disciplina 8. Ingenium 9. Spiritus S. dona. 10. mores

mores 11. Vitæ genus, 12. res gestæ & harum præmia 13. eventus & fortuna 14. mors 15. fama & status post mortem &c.

§. 3. Loci Inventionis rerum reperiuntur in omnibus compendiis Logicis. Exemplo res fiet clarior. Sit thema simplex *V. G.* HUMILITAS. Discursum de ea facturus recurrat ad locos Inventionis & argumenta promat 1. ab *Etymologia*: Humilitas ab humo dicitur, & quia humi serpit, & quia non nisi in illo est, qui se humum esse terramq; agnoscit 2. à *Synonymia*: Dicitur aliàs submissio, quia omnibus se submittit, Græcis ταπεινοφροσύνη, à θάπτω sepelio, vel per Metathesin à πατέω calco; quia vermiculi instar est, qui omnium pedibus teritur, & veluti cadaver in sepulchro, quod nemo non calcat. Hebr: שפל demissio, quia animum abjicit & modestè de se sentit. 3 ab *Homonymia*: dicitur humilitas non solùm illa, quæ vera est & cordialis; sed etiam illa, quæ exterius quoad speciem ficta pictaq; est, qualis erat Pharisæorum. 4. à *Definitione*: Humilitas est moderatio animi modestè de se sentientis 5. à *Genere*: non est substantia, sed accidens; non ipse homo, sed imago Dei & fructus spir: in homine. 6. à *differentia*: debet conformis esse voluntati divinæ sine fuco & quæstu; hoc distinguit veram humilitatem à falsa. 7. à *Specie*: Humilitas alia est civilis in vita politica, alia spiritualis in regno Christi. 8. à *Proprio*: Humilitas est virtus nobilis, difficilis, necessaria, Deo grata. 9. ab *Accidente* (1) *antecedente*, & quod humilitas sit per lapsum amissa, à Deo gratis restituta, & quod addiscatur in cruce. (2) ab *Accidente consequente*, Humilitatem respectu mundi sequitur contemtus: quis enim vermiculum æstimat? respectu Dei, ejus amor, protectio, sanctorumq; Angelorum custodia: respectu piorum, omnis generis beneficia (3) ab *Accidente concomitante*, tempore, loco, vel aliis connexis. Humilitatem quidam assequuntur in juvenili ætate, quidam in senectute. 10. à *Distributione totius in partes*; Humilitas consistit in agnitione propriæ vilitatis & divinæ Majestatis, adeoque in abnegatione sui & æstimatione Dei. 11. à *Distributione in causas*. Humilitatis *causa efficiens* principalis est Spiritus S. *Causa impulsiva* benignitas Spiritus S. *causa meritoria* est Christus, *causa instrumentalis* est agnitio sui per preces, studium pietatis, meditationem verbi & crucem obtenta. *Finis* respectu Dei est communicatio bonitatis, & inde orta gloria divina; respectu nostri, bonitatis divinæ agnitio,

ejus-

ejusdemq; celebratio, & tandem æterna beatitudo 12. à *distributione in effectus*, Humilitas facit, ne homo attendat virtutes proprias, sed defectus, ne quid magnum de se proferat, ut sua bona celet, ut quantò plus proficit, tantò se defectuosiorem agnoscat: ut contemni se contemnat. 13. à *Subjecto*. Humilis non est Diabolus, nec homo impius, sed Angeli sancti & pii homines 14. à *Subjecto in quod tendit*. Humilitas (1) respicit Deum ut glorificandum (2) proximum ut æstimandum (3) possessorem suum ut abnegandum. 15. à *modo habendi*: Angeli hanc virtutem possident sine labe & labore; homines non nisi per industriam & varias subinde curas, nec sine peccati originalis labe. 16. à *comparatis affirmatis*, qualia sunt *typi* (1) in scriptura *V. G.* infantia *Matth. 18.* (2) ex natura *V. G.* arbor, quæ quò fructuum est ditior, hoc terræ vicinior; quanto magis abundat, tanto magis se inclinat: item apum favi, qui, quò sunt melle repletiores, eò inferiores (3) *exempla* tàm sacra, qualia sunt Abrahami, Davidis, Manassis, imprimis Servatoris nostri Jesu Christi, quem ad Judæ pedes prostratum legimus, postquam Satanas ejus pectus occupasset: quàm profana, quò spectat mos Romanorum, qui Thriumphatoribus, ne superbirent, præconis voce suggesserunt à tergo: *memento te esse hominem*. Quam ob causam Plinius præconem hunc *gloriæ carnificem* appellat. 17. à *comparatis negativis*, ut (1) à *dissimili*, non sicut hypocritæ, ita etiam pii humiles sunt; apud illos enim est ficta humilitatis species; apud hos ipsa veritas (2) *à minori*. Minor est omnis virtus humilitate, quia nulla virtus sine humilitate virtutis nomen meretur. 18. *ab oppositis* 1. *disparatis*. Humilitas hominum & Angelorum non est per omnia eadem: Angelorum enim est sine labe: hæc contaminata; illa perfecta, hæc perficienda. (2) *contrariis*, pugnat cum virtute humilitatis vitium superbiæ (3) *contradictoriis*, quomodo, qui humi serpit, cœlo ruinam minabitur? (4) *privativis*, qui caret humilitate, verè miser est, Dei, Angelorum, bonorumque omnium gratiâ privatus. 19. à *testimonio divino* (1) *externo*: quò spectant dicta scripturæ. *Coloss. 3. 1. Pet. 4.* (2) *interno* Spiritus S. qui animum ad amorem hujus virtutis movet ac flectit, *Rom. 8. 20.* à *Testimonio humano*, (1) *Ecclesiastico*. Sic Bernhardus inquit: *magna humilitatis virtus est, cui etiam Deitatis majestas se inclinat* (2) *profano*. Senec. *Epist. 72. Si vis beatus esse, sine contemnat te alius.*

28. Ab

21. Ab *Experientia.* Conscientia cuique dictitat, & experti fuerunt sancti, humilitati esse studendum, quia nil nisi terra pulvisque sumus.

§. 4. Porrò sit thema compositum. *Humiles sunt beati* Matth. 5. Hoc dispescendum est in Subjectum & Prædicatum, & utrumque per locos inventionis deducendum. Postea ex illis locis argumenta, quæ convenientia visa fuerint ad probandum, sumantur. 1. *Quoad Prædicatum ab Etymologia*: Qui verè ac conformiter voluntati divinæ vivit, is est beatus. Humilis, &c. E. Major probatur ex etymo vocis beatitudinis, dicitur à Græco βίος vita, quòd qui beatus est, demum verè vivit. *Quoad Subjectum.* Quicunque vilitatem suam agnoscit, is beatus est: Humilis &c. E Major est Christi Matth. 5. *Beati sunt pauperes Spiritu.* Minor ex Etymo vocis humilitatis. 2. *Ab Homonymia, quoad Prædicatum.* Humilis beatus non tantùm habet umbram beatitudinis, sed verè fruitur omni bono, non imaginariam beatitudinem, ut filii hujus seculi; sed veram, quæ consistit in fruitione omnis boni sibi convenientis, & ad benè esse debiti. Hinc Argumentum: Qui non habet umbram beatitudinis, sed verè fruitur omni bono, is beatus est: Humilis &c. E. Minor probatur ex Homonymia prædicati: *Quoad Subjectum*: Humilis hîc non significat hypocritam; sed eum, qui verè & cordialiter humilis est. Hinc Argumentum: Qui non est hypocriticè sed verè humilis, is est beatus: 3. *à Synonymia, quoad Prædicatum*, Beatitudo aliàs vocatur summum bonum, Argumentum: Quicunque possidet summum bonum, is est beatus: Humilis &c. E. Major patet ex Synonymia Prædicati; Minor, quia humiles possident ipsum DEUM, quo majus bonum concipi nequit. *Quoad Subjectum*: Humilis aliàs dicitur DEI amicus, ut claret exemplo Abrahami. Argumentum: Quicunque est DEI amicus, is est beatus. Humilis &c. E. 4. *à Definitione, Genere & Differentia, quoad Prædicatum.* Beatitudo est fruitio omnium bonorum convenientium & debitorum voluntati divinæ conformis. Argumentum: Quicunque omnibus bonis sibi ad benè esse debitis voluntati divinæ conformiter fruitur, is est beatus: Humilis &c. E. Majorem probat definitio Beatitudinis: Minorem confirmat Petrus his verbis: *Humilibus DEUS exhibet gratiam*; gratia

DEI autem omnia bona in sese includit. *Quoad Subjectum.* Humilis sese in pia devotione abjicit ad pedes DEI, & indignum omni gratiâ fatetur; sed hac ipsâ humili confessione maximam gratiam consequitur. Hinc Argumentum: Quicunque gratiam DEI possidet, is beatus est: Humilis &c. E. 5. *à Specie, quoad Prædicatum*: Beatitudo vel est civilis, vel spiritualis: Civilis consistit in operatione secundùm virtutem perfectam in vita perfecta. Hinc argumentum: Virtus perfecta beat: Humilitas &c. E. Spiritualis beatitudo est, quâ quis omnia bona possidet, exclusò omni malo culpæ & pœnæ. Hinc argumentum: Qui non habet malum ullum, nec culpæ nec pœnæ, is est beatus: Humilis &c. E. Min. probatur quoad malum culpæ, quia humiles contrito corde delicta lugent, & ne in delicta ruant prudenter cavent; quoad malum pœnæ, quia sublatâ culpa tollitur pœna, nec crux humilibus est pœna. Non enim immittiur ab irato Domino, sed placato patre, nec in exitium, sed salutem. *Quoad Subjectum.* Humilitas DEUM hominesque imprimis Christianos reverenter colit, quæ duæ species habent promissionem beatitudinis. *Matth.* 5. Argumentum. Quicunque DEUM homines-que reverenter colit, is est beatus: Humilis &c. E. Major est Christi Matth. 5. Minor probatur ex speciebus. 6. *à Proprio, quoad Prædicatum*: Beatitudo est bonum summum & nobilissimum: Hinc Argumentum: Quicunque habet promissionem summi & nobilissimi boni, is habet promissionem beatitudinis. Humilis &c. E. Major est ex proprio beatitudinis. Minor ex dicto Petri, den Demüthigen &c. *Quoad Subjectum*: Humilitas est virtus nobilissima, & DEO grata. Argumentum: Nobilissima virtus nobilissimè beat. Humilitas &c. E. 7. *ab Accidentibus* (1) *Antecedente quoad Prædicatum*: Beatitudo in Scriptura humilibus promittitur: Argumentum: Quicquid in Scriptura humilibus promittitur, id iis verè competit. Beatitudo &c. E. *Quoad Subjectum.* Humilitatem, sæpè antecedit varia miseria, succedit E. vera felicitas: Argumentum: Omnis in DEO miser est beandus: Matth. 5. Humilis &c. E. (2) *Comitante, quoad Subjectum & Prædicatum*: qui in Ecclesia Sanctorum vivit, & Electorum victurus est, is est beatus. Humilis &c. E. (3) *Consequente, quoad Subjectum & Prædicatum.* Quicunq; est contemtus coram mundo, is verè beatus. Matth. 5. Humilis &c. E.

8. *à Di-*

8. *à Distributione in partes, quoad Prædicatum*: Beato benè est & quoad animam & quoad corpus; & in actionibus publicis & privatis. Cuicunque bene est & quà animam & quà corpus, is est beatus. Humili &c. E. *Quoad Subjectum*. Qui seipsum abnegat, & DEUM reverenter colit, est beatus: Humilis &c. E. 9. *à Distributione in causas*, (1) *Efficientem qvoad Prædicatum*: Omne donum humilibus est promissum, Beatitudo &c. E. *Quoad Subjectum*: Quamcunq; virtutem Spiritus S. in nobis operatur, ea beatificat; Humilitatem &c. E. (2) *Impulsivam, quoad Prædicatum*. Quod DEUS misericordiâ motus confert, id imprimis humilibus donat. Beatitudinem &c. E. *Quoad Subjectum*: Impellunt ad Humilitatem promissiones divinæ, quarum nucleus est beatitudo. Argumentum: Quod fundatur in promissione divina, id beat: Humilitas &c. E. (3) *Meritoriam quoad Prædicatum*: Fructus meriti Christi spectat ad humiles: Beatitudo &c E. *Quoad Subjectum*: Quibus Christus promeritus est Spiritum S. cujus auxilio humiliter vivant, illis quoque dare beatitudinem constituit: Humilibus &c. E. (4) *Causam instrumentalem, quoad Prædicatum*: Quodcunque est medium perveniendi ad beatitudinem, id facit beatum. Humilitas &c. E. *Quoad Subjectum*. Qui seipsos agnoscunt, ardenter precantur, pietati student, verbum attentè audiunt, legunt & meditantur, sunt beati: Humiles &c. E. (5) *Finalem quoad Prædicatum*: eam ob causam DEUS hominem beatum facit, ut ab ipso celebretur; at non nisi ab humilibus hic finis obtineri potest. Argumentum: A quocunque DEUS est celebrandus, is à DEO est beandus. Humilis &c E. *Quoad Subjectum*: Cujus finis est beatitudo, id beatum facit: Humilitatis &c. E. 10. *à Distributione in effectus, quoad Prædicatum*: Beatitudinis effectus est sensus internus amoris divini: Argumentum: Quicunque intus sentit amorem divinum, is est beatus: Humilis &c. E. *Quoad subjectum*: Humilitatis effectus est amor DEI, Angelorum & piorum omnium. Argumentum: Quicquid excitat DEI, Angelorum, & piorum omnium amorem, id beat; Humilitas &c. E. 11. *à Comparatis affirmantibus*, typis, similibus & exemplis *quoad Prædicatum*: Beatitudinis typus fuit inhabitatio Paradisi: Argumentum: Ad quem spectat inhabitatio Paradisi, ad eum quoque spectat beatitudo: atqui ad Adamum ut humilem &c. E. Minor, quia super-

bia Adamum Paradiso ejecit. *Quoad Subjectum*: Humilitatis typus est Infantia. Argumentum: Infantes sunt beati. Humiles sunt &c. E. Major probatur, quia Christus dicit illorum esse regnum Cœlorum. Sic ab exemplo: Christus fuit summè beatus, & in summo quoque gradu humilis: E. quò beatior, eò humilior, & quò humilior, eò beatior. 13. *à Comparatis Negativis* (1) *dissimili quoad Prædicatum*: Cujus beatitudo non est umbratilis & temporaria, sed constans & vera, ille verè est beatus. Humilis &c. E. *Quoad subjectum*: Quæcunque humilitas non est imaginaria, fucata, ficta, picta, sed vera, illa DEO grata est, adeoq; beat: Atqui piorum &c. E. (2) *à Minori quoad Prædicatum*: Si felices dicuntur qui divitiis, voluptatibus, & honoribus abundant, feliciores utique dicendi erunt humiles: felicitas enim non consistit in vanitate, sed virtute. *Quoad Subjectum*: Si à Christo Matth. 5. mansueti, pacifici &c. prædicantur beati, multo magis beati erunt humiles, quia humilitas & mansuetudinis & omnium virtutum fundamentum est. 14. *Ab Oppositis* (1) *disparatis quoad Prædicatum*: Homo est beatus, non independenter ut DEUS; sed dependenter à DEO. Argumentum; quo conformior DEO, eò beatior: quò humilior, &c. E. *Quoad Subjectum*. Humilitas Angelos beat; humilitas hominum non est quidem ipsa Angelorum humilitas, ad eam tamen propè accedit. Argumentum: Quicquid Angelos beat, id beat homines. Humilitas &c. E. (2) *Contrarius & privativis, quoad Prædicatum*: malitia & miseria tollunt beatitudinem. Argum.: Qui nec malus est nec miser, is est beatus. Humilis non est &c. E. *Quoad Subjectum*: Quicunque non est privatus Angelorum, DEI hominumq; gratiâ, is non est miser: humilis &c. E. 15. *à testimonio humano, Ecclesiastico & profano, quoad Subjectum & Prædicatum*. Quemcunque omnes Patres & prudentiores Ethnici beatum testantur, is est verè beatus. Humilem &c. E. 16. *à Testimonio divino* (1) *externo*. Quemcunq; DEUS in verbo beatum prædicat, is est beatus: Humilem &c. E. Matth. 5. (2) *interno*: Cuicunque Spiritus S. dat intrinsecum testimonium beatitudinis, is est verè beatus. Humili &c. E Rom. 8. 17. *ab Experientia*. Excutiat quisque propriam Conscientiam, interroget Senes, qui multarum rerum experientiâ pollent; & vel invitus fateri cogetur, semper humiles fuisse beatos.

§. 5. Quan-

§. 5. Quando Orator thema per locos Inventionis vult deducere, attendat 1. an thema sit in prædicamento, an non? 2. an sit Universale, an Singulare, an Individuum? frustra enim quis divideret Individuum in certas species, quas non habet. 3. an sit Substantiale, an Accidentale? Accidentalium enim argumenta Substantiis propriè accommodari non possunt: nec omnibus ex æquo Accidentibus eadem conveniunt; Figura enim vel Qualitas non habet effecta propriè dicta. 4. Si Substantiale, an Substantia creata, an increata? Increatæ enim efficientem, materiam, formam, partes quærere, est nodum in scirpo quærere.

§. 6. Hactenus argumenta thema tàm simplex illustrantia, quàm compositum probantia ponderavimus; promovemur nunc ad argumenta amplificantia, quibus Oratio dilatatur. Desumi possunt ex omnibus locis Inventionis, quædam tamen loca præ cæteris huic amplificationi inserviunt, ut Definitio, Comparatio, Oppositio, Distributio in Species, partes, causas, Effecta & Subjecta: modus & autoritas v. g. Dom. 2. post Trinit. Meine Kindlein liebet. Hoc thema commodè amplificari potest 1. à Definitione: Die Liebe ist eine Vertnüpffung und freundliche Zuneigung der Hertzen unter einander. 2. à Comparatis: Wir mögen sie vergleichen einem Zünglein auff der Wage / das sich dahin neiget / da die schwereste Last lieget: die Liebe hält sich zu deme der viel Elendes und wenig Trostes fühlet. 3. ab Oppositis: Nicht die falsche Welt-Liebe / die sich nur zum Glücke neiget / mit dem Glücke blühet / und mit dem Unglücke verwelcket. Nicht die Zungen-Liebe / die Rosen spricht / und Dornen meinet / Honig im Munde / und Galle beim Hertzen trägt; Nicht die Wort-Liebe / die viel verheisset und wenig leistet / gleich einer tauben Nuß / die mit der Schalen pranget und keinen Kern drinnen hat. 4. à Distributione in Species: Die reine Liebe ist theils innerlich / theils eusserlich / inwendig lauter Warheit / außwendig lauter That. 5. à Modo: sie wurtzelt im Hertzen / blühet in Worten / und fruchtet in der That und Wercken. Ubi notandum, quòd, quando in amplificatione eandem rem diversis verbis conamur exprimere, utendum sit verbis propriis, selectis & splendidis, ita ut posteriora semper fiant dilucidiora prioribus. Huc pertinet quoque prudens Troporum usus, imprimis Gradationis & commorationis.

§. 7. Imprimis verò ex Loco Testimonii depromuntur dicta, ex loco comparatorum similia & exempla, tanquam argumenta Auditorio gratissima, quæ maximè Concionem dilatant. Statuunt nonnulli omnibus argumentis dicta, similia & exempla Scripturæ esse subjungenda, quod tamen, si argumenta satis perspicuè ex textu fluunt, vanum & inutile est, 1. quia dicta, similia & exempla non sunt partes Concionis essentiales, sed eam tantùm amplificant. 2. quia frequens citatio ista gravat Oratoris memoriam. 3. Auditorum attentionem turbat. 4. quia speciem ostentationis habet, quà nihil in concione odiosius. 5. quia frustra tempus terit, quod eruendis ex textu argumentis impendi poterat & debebat.

§. 8. Circa citationem Dictorum Scripturæ, sequentia sunt notanda, 1. ea non esse numeranda, sed ponderanda. 2. Non ineptè, sed appositè citanda. 3. Obscura & emphatica non nudè proferenda, sed explicatione quadam vestienda. 4. Aliquando capita, rarò versus citandos.

§. 9. Argumenta omnia vel ex textu eruuntur, vel aliunde assumuntur. Præstat argumentis uti domesticis, si copia suppetit. Nec tamen necessarium est, ut omnia textui sint insita, módo ita tractentur, ut proximè ad textum accedant, & ex eo fluant, vel fluere videantur. Quod communiter fit per transitum à sensu literali ad mysticum, cui usui præprimis inserviunt voces metaphoricæ, si quæ in textu reperiuntur.

§. 10. Tandem circa argumentorum Inventionem & applicationem sunt notanda: 1. non tàm argumentorum numero quàm pondere certandum. 2. Convenientissima præ aliis eligenda. 3. Argumenta sibi invicem succenturianda, ut cohæreant. 4. Argumenta non probabilia, sed necessaria adducenda, si quæstio salutem & ædificationem spectet. 5. Argumentis Theologicis addenda esse Metaphysica, Physica & Ethica. Metaphysica depromuntur ex axiomatibus Metaphysicis, & sunt efficacissima, clarissima. Physica est Speculum Omnipotentiæ, Bonitatis & Sapientiæ divinæ, ac suggerit argumenta & oculatissima & suavissima. Ethica suppeditat argumenta practica, docetq;, quare & quomodo virtutibus studendum & vitiis valedicendum.

CAP.

CAPUT III.

DE DISPOSITIONE. SECTIO GENERALIS.

§. 1.

REs inventæ accuratè disponendæ sunt: sine Dispositione Concio est cadaver. Certè si Oratio careat Dispositione, necesse est, ut tumultuetur & sine rectore fluitet, nec cohæreat sibi, multa transeat, velut nocte locis ignotis errans; nec initio nec fine, proposito, casum potius quàm causam & consilium sequatur. *Dispositio* autem *est partium Concionis ordinata collocatio.*

§. 2. Partes Dispositionis sunt *vel* generales *vel* speciales. Generales sunt collatio & connexio; *illa* res disponendas accuratè distingvit: *hæc* dictinctas svaviter colligat, omniaq; pulchris transitionibus connectit, ita ut sit continuum concionis filum, nec hiatus ullus aut saltus durus appareat. Partes speciales sunt *tùm* essentiales, *tùm* integrales. Essentiales sunt *Propositio* & *Confirmatio*: Integrales *Exordium*, *Narratio* & *Peroratio*. Illis sublatis, tollitur; his verò, manet Concio. Non autem in his partibus locandis necessarius semper est *ordo naturalis*, quo primò ordimur, deinde narramus, hinc scopum seu propositionem Orationis assignamus, post eam explicamus, aut argumentis probamus, tum contrariam propositionem refutamus, denique concludimus: Requiritur nonnunquam juxta substratam materiam *ordo arbitrarius*, ut pars aliqua vel transponatur, vel omittatur, pro personarum, locorum & temporum circumstantiis. *Amentis est*, inquit Quintilianus, *superstitione præceptorum contra rationem causæ trahi.* Hinc Dispositio ab Oratoribus distingvitur in *perfectam* seu *directam*, & *imperfectam* seu *indirectam*. Illa omnes partes ordine naturali proponit; hæc vel omittit, vel transponit.

SECTIO

CAPUT III.

SECTIO SPECIALIS I.
DE
EXORDIO.

§. 1.

NOn semper Exordium ut adhibeatur necesse est. Imprimis quando vel brevis est habenda Concio, vel materiæ copiâ prægravamur. Moses sine præfatione Historiam Creationis aggreditur.

§. 2. Quando verò adhibetur, eum in finem adhibetur, ut benevolentia & attentio auditorum excitetur, propterea necessariò finem ostendit, cujus gratiâ Oratio habetur

§. 3. Duplex autem est Exordium, *remotum* alterum, alterum *propinquum*. Illud aliàs appellatur introitus, & est præparatio quædam ad lectionem textus. Vocatur ab aliis *status*, quia non pro diversitate Thematis variatur, sed in omnibus Concionibus fixum manet, exceptis diebus festis, Concionibus nuptialibus, funebribus, inauguralibus, & aliis extraordinariis.

§. 4. Tria complectitur hoc Exordium, *Votum, excitationem & lectionem textus*. Votum plerumque ex *2 Cor. 13. v. 13.* sumitur. Excitatio continet miseriæ nostræ exaggerationem per Orationem Dominicam, quam sequitur distincta & clara lectio textus.

§. 5. Desumitur hoc Exordium ex aliquo Loco Inventionis, qui themati maximè convenit, præsertim ex circumstantiis loci, temporis, personarum: vel dicto aut exemplo Biblico, aut typo quodam. Tractatur autem ita, ut illustretur & amplificetur uno atque altero argumento, itidem ex locis Dialecticis desumto v. G. Si quis Epist. Reminis. posuit thema: *SanctuariuM DEI spirituale*: Exordium remotum petere potest ex verbis Psal. 60. *DEUS locutus est in sancto suo* Thema est paracleticum, solatur enim David sese interno sensu ac gustu dulcedinis divinæ. Argumenta illustrantia hunc sensum bonitatis divinæ, desumuntur 1. *à Causa efficiente*, quæ est DEUS. 2. *à modo efficiendi*, sc. per internum alloquium. 3. *à Subjecto in quo*, quod est Cor hominis à mundo separatum, DEOq; consecratum, & hoc amplificatur à typo Sanctuarii V. T.

§. 6. Hæc

§. 6. Hæc Argumenta brevibus formulis connectenda sunt, & deinde per transitionem ad thema eundum, sic tamen ut materia Concionis generaliter tantùm significetur, non ipsum thema distincte proponatur. Formulæ Transitionis hæ potissimum usurpari solent: Hievon weiter zu handeln / &c. Dieses in der Furcht GOttes zu erörtern &c. In Concionibus nuptialibus potissimum à dicto gratulatorio; in funebribus à Consolatorio desumendum Exordium, factâ ejus ad Neonymphos vel Defunctos per formulam appositam applicatione. v. g. Dieses wündschen wir auch den jungen Brautleuten / &c. Dieses hat auch erfahren unser seliger Mit Bruder.

§ 7. Imprimis circa hoc Exordii genus notanda sunt duo, 1. Generale Exordium non nisi generalissima complecti debere: Specialia ad ipsam thematis tractationem spectant. 2. Non debere esse prolixum, tùm ne Concionis pars esse videatur, tùm ne auditores fatiget.

§. 8. Exordio propinquo auditorum animi præparantur ad persvadendam explicationem textûs, idq; *mutabile* appellatur, quia pro varietate materiæ ipsum quoque necessariò variandum. Complectitur *Propositionem*, *thematis Confirmationem*, *amplificationem* & *applicationem*.

§. 9. Thema Exordii in genere desumitur iterum ex locis inventionis. Maximè jucundum sed non parùm difficile esse statuunt Autores, Hülsemannus & alii, typum aliquem aut vaticinium V. T. per Sensum Mysticum seu Allegoricum ad thema accommodare. v. g. Si Dom. IV post Trinit. thema sit de *hypocrisi*; Exordium convenienter peti potest ex *Levit. c.* 11 ubi DEUS reprobavit cygnum in Sacrificiis, qui exterius albus est in plumis, interius carnem habet nigram; fiat applicatio: Displicent DEO, qui exterius boni apparentes, intus mali sunt.

§. 10. In Specie septem sedes Exordiorum assignari possunt, 1. à recapitulatione superioris Concionis. 2. à summa verborum textum præcedentium, ut si Exordium formandum sit ad Epistolam Dominic. 4. Trinit: quæ agit de *renovatione* hominis, commode sumitur ex iis, quæ præcedunt de justitia fidei, *h. m.* Justificamur solâ fide, Justitiæ autem fructus est nova obedientia, de qua Paulus hoc loco. 3. ab Occasione & causa impulsiva, quæ ordiendi ratio

in Concionibus nuptialibus, funebribus, pœnitentialibus & festivalibus ut plurimum obtinet. 4. à Translatione theseos ad hypothesin, v. g. si quis dicturus de proditione Judæ; ordinatur à proditionis descriptione in genere. Istiusmodi Exordium vel simpliciter vel per insigne quoddam Scripturæ dictum proponitur. 5. à Circumstantia Personarum vel Concionatoris, vel Auditoris, vel utriusq; 6. à Contrario, v. g. si thema sit de humilitate, Exordium sit de Superbia. 7. ex loco parallelo, typo vel exemplo Biblico v. g. sit thema de Superbia: Exordium suggerit exemplum Nabuchodonosaris. Plures sedes Exordiorum invenies apud Alstedium in *Orat. Sect. I. c. 8. n. 7.*

§. 11. Circa investigationem thematis Exordiorum notanda duo, 1. illud præ aliis eligendum, quod ad scopum textus quàm maximè ducit. 2. In Exordio non esse illam rem tractandam, quæ in themate continetur, quia non est ipsum thema; sed saltem ad thema introitus.

§. 12. Formulæ inchoandi Exordia pro diversitate materiæ & locorum unde desumuntur, variant. Si sumtum est à dicto, ita quis ordiri potest. Ein theures Wort ist / daß der Prophete oder Apostel setzet. Si à typo *V. G.* Charitatis, *h. m.* Ein Bilde der Liebe finden wir &c. Si ab Exemplo *V. G.* Davidis. David muß uns ein Schreck-Bild seyn / ein Tugend-Spiegel. Plures formulas suppeditabit D. Forsterus. Si ex aliquo Inventionis loco, *V. G.* à causa, fine, objecto &c. conceptus iste in formula locutionis non significatur; quippe qui tantum inservit Inventioni & materiæ: sed res ipsa describitur in genere, & deinde descenditur ad argumenta, ubi quisque pro sua prudentia formulas invenire, & ad propositum accommodare potest.

§. 13. Confirmatio thematis Exordiorum fit per argumentum unum alterumve illustrans aut probans. Ubi notandum, quòd si à dicto, typo, vel exemplo Scripturæ, desumtum sit Exordium, non nisi argumenta in dicto, typo vel exemplo contenta, vel omnia, vel quædam evolvenda esse *V. G.* Si ad Domin. Palm. Epistolam Exordium sit ex dicto Christi *Matth. 11. Discite à me:* primo ponitur thema in eo contentum, oblatio Christi ad munus Præceptoris, tractatur deinde per argumenta dicto inserta, considerato oblationis (1) modo,

quod

quod sit voluntaria & cum delectatione. (2) sine respectu nostri, ut discamus.

§. 14. Amplificatio fit per argumenta ex locis Inventionis desumta, V. G. præsens dictum amplificari potest (1) ex loco *Subjecti*. Subjectum *Quod* est Christus: Subjectum *Cui* est omnis homo. (2) à *medio*, quod est *tùm* externum verbum, *tùm* interna illuminatio per verbum facta. (3) à *modo*, docet verbo & exemplo. (4) ab *Effectu*, Institutio Christi facit θεοδίδακτους & verè doctos.

§. 15. Post amplificationem statim fit applicatio Exordii ad textum, ut ostendatur convenientia cum themate Concionis. Formulæ ferè hæ sunt. Si exordium est à dicto, applicatur per hanc formulam. Diß Sprüchlein erkläret oder beträfftiget unser Text. Si à typo: Ein gleiches finden wir in unserm Text. Si à connexione cum antecedentibus. An diesen Worten hanget unser Text. Si ab Oppositio, accommodatio fit per particulas adversativas. h. m. Ein anders lehret unser Text.

§. 16. In genere circa Exordia sequentia sunt notanda 1. ea demum post electionem ac fractionem thematis invenienda & elaboranda esse. Neque enim Exordium est mensura thematis, sed thema Exordiorum; jam mensuratum mensurante est posterius. Cic. *lib. 2 de Orat.* *Quod primum est dicendum, postremò soleo cogitare, quo utar Exordio.* Et aliquantò post: *Exordia*, inquit, *ex ipsis causæ visceribus sumenda sunt* 2. Ea plerumque debere esse submissa & verecunda, sine magnis affectibus & Figuris Rhetoricis, nisi concio sit vel extraordinaria vel futura vehemens: Sicut natura se totam non profundit sub initium; ita Orator moderationem adhibere debet sub Orationis initium. 3. Simplicia quidem, non tamen vulgaria nimis & communia, quæ omnis generis concionibus possint applicari; raritas enim ac sententiarum acumen commendant Exordium. 4. non nimis prolixa, sed vel trium, vel quatuor, aut ad summum quinque periodorum ambitu conclusa; longa enim Exordia tædium afferunt auditori; nec finem suum assequuntur. Exordia enim benevolentiam conciliare debent; at benevolentiæ nihil magis officit quàm garrulitas. Exordium eam habere debet ad reliquam Orationem proportionem, quam habet caput ad reliquum corpus; janua ad ædificium. 5. Directa ad attentionem in auditoribus generandam. Frigente Exordio,

dio, omnia frigent. 6. Non longè petita; sed textui convenientia & Oratorem rectà in ipsum textum introducentia. Ad hæc duo enim Oratori respiciendum, tùm ut Exordium cum textu congruat, tùm ut ab eo ad Propositionem decorus & commodus transitus fiat. Ingens vitium est, quando Exordium non directè cum textu cohæret, sed per ambitus diversarum sententiarum, earumque contrarias connexiones tortuosè in textum infertur.

SECTIO SPECIALIS II. DE NARRATIONE.

§. 1.

PArs altera Integralis Concionis Oratoribus dicitur *Narratio*, quâ veluti brevi summâ contenta textus referimus. Hâc raro utimur in concionibus, nisi quando in Historiarum sacrarum Exegesi earundem summam succinctâ brevitate percurrimus. Negari tamen non potest, quod interdum insigniter utilis sit, & præsertim si non omnia in textu contenta, sed tantum aliquam doctrinam ex eo desumtam evolvere cogitamus: tunc enim Auditori, qui declarationem totius textus exspectat, ut satisfiat, brevissimè contenta enarrabit Orator.

§ 2. Narrationem commendant 1. *brevitas*, ne pluribus personis vel rebus uno impetu sensibus veluti objectis, animus auditorum confundatur. 2. *Perspicuitas*, ut Oratio velut pellucidus amnis fluat & verbis usitatis fiat Perspicuitati inservit *ordo*, qui primum *occasionem*, postea progressum & ipsam quasi *formam*, demum *eventum* rerum exponit. 3 *Elegantia*, ne idem verbum παυπολόγως sæpe ac ineptè repetatur. Suavis & elegans erit Narratio, si habeat Admirationes, Exspectationes, exitus inopinatos, interpositos animorum motus, colloquia personarum, dolores, iracundias, metus, lætitias &c.

§. 3. Non negligendum verò hic est, quod notat Alstedius, Narrationem non semper Exordio succedere, sed interdum differri

&

& subjici Propositioni. Nimirum Narratio subjicitur statim Exordio, si Propositio inde sit ducenda: si verò Propositionem declarare possit, Propositio præmittitur Narrationi.

SECTIO SPECIALIS III.

DE PROPOSITIONE.

§. 1.

AB Exordio vel Narratione decorè transeundum est ad Propositionem, nec sine evidenti connexione, nec ex abrupto. Propositio thema tanquam nucleum & summam dicendorum auditorio exponit.

§. 2. Propositio in Concione semper & absolutè est necessaria, quia & scopum Autoris, & seriem medullamq; totius contextus, & basin habendæ concionis demonstrat. Hinc ejus artificium necessitate & dignitate primum.

§. 3. Propositio alia est *explicita*, quæ apertis verbis recitatur; alia *implicita*, quæ per totum orationis contextum sparsa, non nisi integrâ oratione auditâ cognosci potest.

§. 4. Explicita rursùs est vel *simplex*, vel *composita*: illa unum thema continet, non adeò amplum & prolixum; hæc vel plura themata in se continet, vel unius thematis generalis plures partes, & hæc requirit *partitionem*, quâ auditoribus distinctas Concionis partes proponimus.

§. 5. Ejusmodi *partes* sunt vel *cognatæ*, vel *disparatæ*: cognatæ sunt unius thematis argumenta quædam generalia, desumta ex locis inventionis, V. G Si quis Domin. Palm. thema de humilitate, partiretur in humilitatis typum & fructum. Ejusmodi quoq; partes cognatæ sunt, cum thema dividitur in Subjectum & Prædicatum, V. G Psal. v 1. *Beatus qui non ambulat in consilio impiorum*; prædicatum est beatitudo &c item, cum partitio ob brevitatem textus fit in explicationem & usum, hâc plerumq; formula; Wir wollen unsern Text nach dem Wort-Verstand handeln / darnach desselben heilsamen

Brauch zeigen. Partes disparatæ sunt diversæ materiæ, quæ inter se cognationem argumentorum non habent, & tamen in una Oratione tractantur. *V.G.* Si quis Dom. 3. post Trin. thema divideret in tres partes, de *humilitate*, de *quiete animi*, & de *vigilantia*, quæ partes omnes tàm cognatæ, quàm disparatæ ita dirigendæ sunt, ut aptè cohæreant, ad concinnitatem transitionis ab una ad alteram.

§. 6. Partitio autem argumentis disponendis apta, ut plurimum occultatur, quia non tàm auditoris, quàm Oratoris memoriæ inservit; Quamvis enim Oratorem deceat per Analysin logicam textum disponere, singulas tamen partium divisiones auditorio manifestare non convenit: artem celare posse ars optima est.

§. 7. Nonnullis placet membra Propositionis & argumenta quæ sequuntur, si non terminis technicis, tamen *similiter cadentibus*, tàm latinis, quàm Germanicis efferre: Verùm improbandus est hic mos, *tùm* propter servilem in terminis hisce excogitandis ingenii torturam; *tùm* quia istiusmodi termini facile pariunt nauseam, non apud vulgum saltem, sed etiam doctos; *tùm* quia plerumque sunt coacti, contorti & inepti, nec vel sponte fiunt ex textu, vel textui conveniunt.

§. 8. Alii Propositionis membra *Latinis* terminis proferunt? Verum & hæc consuetudo vix applausum meretur, quia Auditores, qui Ecclesiæ maximam partem constituunt, & quorum Oratores rationem præ aliis habere debent, è vocibus istis Latinis planè nihil utilitatis capiunt.

§. 9. Patimur tamen unumquemque hîc suo abundare judicio, modo 1. terminos Latinos per divisiones ac subdivisiones non accumulet. Istiusmodi enim minutiæ sunt tædiosæ, & memoriam, cui inservire debebant, non juvant, sed turbant. 2. terminos Latinos extemplo Germanicis ritè exprimat.

§. 10. Cœterùm *partitio* debet esse *brevis*, non πλυμερὴς: sed vel unum tantùm, vel duo, ad summum tria membra habere, præsertim si partes sint disparatæ, & diversa themata: alioqui tædium auditori jam ultrò solet obrepere, si tàm multa sibi audienda intelligit. Multitudo etiam partium Oratoris incogitantiam arguit,

&

& auditorum memoriam confundit; paucitas autem partium obtinetur, quando partes ultrò se offerentes inter se accuratè conferuntur, & deinde communi alicui Generi, ceu summo capiti, subordinantur. V. G. Domin. 3. post Trinit. partes tres, sese offerunt, *Humilitas*, *Quies*, *Vigilantia*: si conferuntur, facilè sub unum genus rediguntur, nempè, sub agnitionem gratiæ divinæ: hæc enim facit humiles, quietos, vigilantes. Nota tamen, membrorum numerum certum Oratori præscribi non posse, quia partitio non est rebus accommodanda, sed ex rebus promenda *V. G.* Si explicandum sit cap. 1. Gen. Non potest non istius facere sex partes, pro sex creationis diebus.

§. 11. Partitio *generalis* esse debet, sic ut ipsa rerum genera tantùm ponantur, nec permixtè cum partibus implicentur. *V. G.* Luc. 1. v. 45. *Beata illa* &c. Partes textus generales duæ sunt. 1. Beatitudo Mariæ. 2. Beatitudinis fundamentum. Prior pars subdividitur in subjectum, *illa quæ credidit*, & prædicatum, *beata est*. Si dixeris, ideò textus tres esse partes, peccabis, nam specialis partitio partis non est generalis partitio textus.

§. 12. Partitio textui quoq; debet esse *congrua*, imo reciproca, ut omnia textꝰ membra comprehendat, ne quid deficiat vel redundet. Sit itidem *popularis* ac perspicua, non continens verba modificata, sed simplicia ac plana. Sit bene *ordinata*, ut partes ex se mutuò dependeant.

§. 13. Propositioni ut subjungatur *excitatio attentionis*, non simpliciter necesse est, nisi materia sit ardua, quæ singulariter devotos & serios velit auditores, quo loco illud Salvatoris inculcandum; *qui aures habet ad audiendum audiat.* Nisi hoc sit, nullam video excitationis necessitatem; crambe bis cocta vilescit. Ante concionem in Introitu auditorium, ut excitari debet, ita quoque solet.

§. 14. Plerumq; verò inter Propositionem & confirmationem breve *votum* intercedit, quo auxilium Spiritus S. imploratur. Effertur formulis vel generalibus. Hierzu verleihe GOtt Krafft und Weißheit / vel; GOtt gebe dazu Muth und Sinn in Christo! Amen. Vel specialibus, desumtis aut ex dicto quodam Scripturæ *V. G.* Ps. 119. HErr öffne uns die Augen / daß wir sehen die Wunder in deinem Gesetze / aut ex summa Exordii: aut ex verbis Propositionis. *V. G.* Si thema sit de illuminatione Spiritus, votum concipi potest formula Davidicâ;

vidicà; HErr laß dein Antlitz über uns leuchten / so genesen wir. Aut à circumstantia temporis. Sic Domin. Pentecost: Votum sit Davidicum: HErr nim deinen Heiligen Geist nicht von mir. Ubi nota, formulas arbitrarias ex ipso textu erutas, ipsiq; ac circumstantiis accommodatas majorem habere gratiam, quàm fixas.

§. 15. Quæritur; *An votum concipiendum sit in persona secunda, an tertia?* Resp. Tertia persona majoris modestiæ ac sedatioris animi indicium, insuperque tranquillioris devotionis instrumentum est, & omninò reprehendendi sunt illi, qui cum nimia vehementia & clamosa quadam audacia secundâ personâ utuntur. Potest tamen etiam secunda persona usurpari, si id fiat modestè, piè, & quoad circumstantias convenienter, præsertim si dictum Scripturæ citetur, in quo secunda persona habetur.

SECTIO SPECIALIS IV.
DE
CONFIRMATIONE.

§. 1.

COnfirmatio est thematis seu Propositionis tractatio per argumenta illustrantia, si thema sit simplex; vel probantia, si sit compositum, item amplificantia, applicantia, moventia. Juxta communem doctrinam complectitur duo: *Explicationem*, seu paraphrasin textus, & *applicationem*, seu usum.

§. 2. Explicatio est vel *verborum*, vel *rerum* verbis significatarum.

§. 3. Explicatio verborum est, vel vocum obscurarum *Grammatica*, qualis occurrit Matth. 1. v. 23. *Immanuel*, quod explicatur, *Deus nobiscum*. Sic, *Matth. 6.* explicandum venit vocabulum Syriacum *Mammona*. Huc pertinet constructio Grammatica *V. G* Rom. 1. v. 1. *Evangelii Dei*. Quæritur, an significet à Deo, an de Deo? an ratione efficientis, an verò objecti? Sic 1. Cor 10. 2. *baptizari in Mosen*, non ut objectum, sed ut causam ministrantem; vel Troporum & Schematum *Rhetorica*. Sic Dom. 1. Adv. Phrasis, *Filia Sion*, Metaphoram

taphoram in se continet, quam beneficio Rhetoricæ redigo ad sensum liquidum, dicendo, civitatem Jerusalem intelligi, ad montem Sion ædificatam. Vel Consequentiarum *Dialectica*, quæ per convenientes formulas circa quævis Argumenta, faciendo ex orationibus non Logicis Logicas, vim ac nervum concludendi perspicuè demonstrat.

§. 4. Explicatio rei obiter attingit rem ipsam, & dicit quid sit v. g. Fides, Charitas, Spes, &c. addita illustratione & amplificatione ex Scripturæ dictis & locis Topicis. Non rarò contingit, ut res ipsa prius vocabulis explicanda sit, quando sc. lucem affert vocabulis, & simul causam continet, cur Spiritus S. in hujus vel illius rei descriptione talibus aut talibus vocabulis sit usus? Rom. 12. τὴν φιλοξενίαν διώκοντες: Hic prius dicendum, Christianos hospitalitatis debere esse studiosissimos, idque postea ex emphasi vocis διώκειν de venatoribus usurpatæ probandum.

§. 5. In explicatione rei duo hæc observanda sunt 1. ut materia subjecta explicetur, 2. ut si dubia fuerit probetur: manifesta enim sollicitam probationem non admittit.

§. 6. Observanda in Explicatione Paraphrastica & Analytica hæc sunt 1. Ne quis explicationi vocum, præsertim si nativâ suâ luce fulgeant, diu immoretur: sunt talia auditoribus molesta, & sine fructu tempus terunt. 2. Ne quis evolutione vocum ex fonte Hebræo vel Græco se ostentet: accuratum quidem vocum & Phrasium in lingua Orientali scrutinium privatim est instituendum, ut Orator sensum plenè assequatur: Sed & hoc artificium coram auditoribus celandum est, cùm magis spectare videatur ad captandum propriam gloriam, quàm auditorum salutem promovendam. 3. Ne quis ea declaranda sumat, quæ parùm aut nihil ad thema faciunt; neque enim necesse est, ut ulla vox obscura in textu evolvatur, nisi inserviat deductioni argumentorum ex textu; unde & in illis tantùm locis, in quibus argumenta inveniuntur & collocantur, voces obscuræ explicandæ sunt. 4. Ne quis scrupulosè ac subtiliter nimis omnia persequatur. Id enim non tàm ad Doctorem Homileticum, quàm Scholasticum pertinet. 5. Ne dubia, difficilia & obscura afferat; quomodo enim alteri lucem attulerit, quod ipsum illustratione indiget? 6. Ut illustrationem faciat per loca Scripturæ paral-

lela, quæ si eundem habent cum nostro textu Scopum, idem argumentum, aut nostræ materiæ lucem afferunt, brevi explicatione vestiri debent; sic enim non uni tantùm, sed pluribus simul scripturæ locis lux affulget. 7. Ut non semper omnia proferat, quæ occasione textus dici possunt, sed quædam meliori oportunitati reservet. 8. Ut accuratè & judiciosè secernat ea, quæ pluribus Concionibus possunt esse communia, ab iis quæ præsenti concioni sunt peculiaria; illa sæpe præteriri possunt, horum nihil omitti debet. 9. prudenter caveat, ne temerè dubia moveat citra necessitatem, nullamque objectionem proponat, quam non solidè & nervosè solvat. 10. Orationis orationem continuet transitionum vinculis, ut non solùm dicenda tenaciter Oratoris memoriæ inhæreant, & membrum unum ab altero, tanquam in catena annulus ab annulo, profundatur: sed etiam cum majori delectatione audiatur, & quem perrexisse animadvertit auditor, vix sentiat pergere. 11. Varias diversorum Interpretum versiones & explicationes non proferat, ne imperitis occasio ad fluctuandum & dubitandum de sententiâ textûs præbeatur. 12. Non sit ei religio ordinem textus invertere & alio tractare, quàm quo verba leguntur *v. G.* Gal. 3. 13. *Christus nos redemit à maledictione Legis.* Hoc primò quidem in textu legitur, non tamen est prima textus pars: sed prima pars hæc est: *Christus factus est pro nobis maledictio:* hæc infert secundam; & *hoc ipso redemit nos à maledictione legis.* Nempe, præstat ordinem geneseos sequi ad textum, quàm contra ductum & naturam rei ordinem verborum premere.

§. 7. Explicationem insequitur *applicatio*, quæ constat partim locorum communium seu confectariorum reductione, partim eorundem ad usum accommodatione.

§. 8. Loci communes sunt *vel* theoretici, *vel* practici: *illi* respiciunt fidem seu credenda; *hi* mores, seu facienda. Specialiùs distinguuntur secundùm varia dicendi Genera, ut infra videbimus.

§. 9. Ejusmodi Conclusiones plures vel pauciores, pro dicentis intentione, ex themate deduci possunt, & meritò maximam temporis partem sibi vendicant, præsertim si textus sit Historicus, non dogmaticus; tunc enim, nisi debito modo per Conclusiones fiat applicatio, exiguus in auditorium fructus redundabit.

§. 10. Loci Communes considerantur *vel* ut formandi, *vel* ut proponendi, *vel* ut tractandi.

§. 11.

§. 11. Formantur hoc modo. 1. Sedulò attendatur res quævis, quæ in textu exprimitur. 2. illa res extra nexum verborum trahatur proponenda in thesin, modo sensus retineatur. 3. formetur in axioma V. G. 1. Pet. 4. 17. *Tempus est ut incipiat judicium à domo Dei.* Hic (1) attende res textus extra nexum verborum. Subjectum de quo agitur, est *judicium Dei*, de illo prædicatur, quòd *incipiat*. Inceptionis additur tempus & objectum, quod est *Dei domus*. Hæc singula considero & in formam axiomatis extendo: Sit axioma. I. *Deus est justus Judex.* II. *Judicia Dei aliquando incipient.* III. *Judicia Dei habent determinatum tempus.* IV. *Judicia Dei cum incipiunt, à fidelibus incipiunt.*

§. 12. Loci communes deducuntur ex textu, *vel* per se, *vel* per simplicem translationem theseos ad hypothesin & vice versâ, *vel* per necessariam consequentiam.

§. 13. Conclusiones ex textu eruuntur aliquando per extensionem, quando textum extendo & ex verborum connexione vel relatione plures doctrinas formo; aliquando per *contractionem*, quando, præprimis in textibus Historicis, plura in unam observationem comprehendo V. G. *Rom. 9. v. 31.* Per extensionem elicio hæc tria axiomata. 1. *In negotio salutis instruendi sunt homines ex ratione status unius ad alium.* 2. *Etiam justi non nisi difficulter salvantur.* 3. *Miserrimus est impiorum status, qui nunquam subsistere queunt.* Per contractionem, hoc unum. *Difficultas salvandi in pios instruit nos de gravitate condemnationis in impios.*

§. 14. Hæ vero Conclusiones sic deductæ apertè proponi debent; Circa *propositionem* sequentia notanda sunt 1. inter doctrinas illas præmittendas esse, quæ fidem & scientiam spectant; subjiciendas, quæ mores & conscientiam. 2. Si doctrinæ plures in textu continentur, breviter quidem omnes indicandas esse, unam verò aut alteram latius extendendam esse; eam nempe, quæ ex textu manifestiùs fluit, & quam præsens Ecclesiæ status necessariò exigit. 3. Conclusiones proponi debere perspicuè, concinnè & solidè, quin aliis quoque verbis repeti, quo animis fixiùs inhæreant. Exemplum est *Marc. 10. v. 23. & 24.* 4. Conclusiones, imprimis morales, non esse nudè proponendas, sed *motivis & mediis* vestiendas. *Illa* excitant auditorem, ut amplectatur virtutem, fugiat vitia; *hæc* viam

monstrant, quæ eò deducere possit. Adjungi etiam interdum possunt κριτήρια, seu notæ, per quas singuli se explorent, & conscientiæ examen instituant.

§. 15. Post Propositionem Loci communes tractantur seu elaborantur per explicationem, probationem & amplificationem.

§. 16. In *Explicatione* res explicatur latiùs, quæ in Analysi concisè tantum attingebatur.

§. 17. *Probatio* instituitur duplex, ὅτι & ὅτι διότι, & *quod* sit & *quare* sit.

§. 18. Probatio ὅτι fit per Scripturæ locos parallelos, quorum pauci, iiq; significantissimi, duo vel tres afferendi cum brevi paraphrasi, quæ ostendat locos citatos convenire intentioni, & veritatem doctrinæ probare.

§. 19. Probatio διότι procedit per rationes, nisi ratio vel omnino non, vel non commodè dari possit. Affert autem rationes proprias, evidentes & satis congruas, quæ dextrè & immediatè illud probant quod probandum erat, nec justo plures, sed paucas & solidas. Nec rationes enumerat solùm, sed explicat, per Scripturam probat, & commode amplificat. Si autem textus ipse rationem continet, ut plurimùm illam solam urget & tractat.

§. 20. Amplificatio ex omnibus ferme locis Topicis fieri potest, maximè tamen ex Dis- & Comparatis: prioris exemplum est *Psalm.* 1. *v.* 4. posterioris *Job.* 4. *v.* 10.

§. 21. Cœterum nullus est usus locorum communium nisi applicentur. Applicantur autem Theoreticè, *vel* docendo, *vel* refutando, hinc Usus Didascalicus & Elenchticus: *ille* Fidei Articulos confirmat; *hic* errores Fidem impugnantes refutat.

§. 22. *Didascalia* sit 1. textui genuina, non in eum, sed ex eo illata. 2. solidis argumentis roborata. 3. non inanium sterilium q; verborum sed rerum fundamentalium plena.

§. 23. *Refutatio* sit 1. perspicua & plana. 2. prudens ac moderata. 3. aliena ab omni calumnia. 4. non tractet hæreses Ecclesiæ incognitas, & vel ob antiquitatem, vel novitatem inauditas: Hæ enim facilè dum refutantur, seruntur. 5. non sit nimis disputax: sed tota ad ædificationem directa. 6. non imprudenter proferat nefan-

nefanda & blasphema, quæ sciri populo non expedit, & horrore suo magis offendunt quam ædificant.

§. 24. Loci communes practici applicantur *vel* adhortando, *vel* dehortando, *vel* consolando. Hinc usus alius Pedevticus, alius Epanorthoticus, alius Paracleticus.

§. 25. *Pedevticus* adhortatur ad virtutes Christianas, respiciens non tàm exteriora opera, quàm interiorem profectum animæ *Hebr.* 3, 13. Pertinent huc motiva & media, ut sciat auditor quare & quomodo virtuti sit incumbendum?

§. 26. *Motiva* quæcunq; adhibentur, sunt duûm generum, *rationes* & *exempla*. Quod *rationes* attinet, judiciosè hæ distinguendæ sunt ab iis, quæ allatæ sunt antea ad locum communem probandum. *Illæ* ex natura rei docentur *V. G.* Cur aliqua Virtus in se sit utilis & laudabilis? *Hæ* ex ratione nostri *V. G.* cur nobis sit utilis & laudabilis? Quod exempla attinet, eorum hîc proprius locus est, ut quibus homines maximè percelli & moveri solent.

§. 27. *Media* quæ proferuntur debent esse 1. *certa*, ut auditor adhibitis iis certè assequatur finem, quem intendit. 2. *proxima*, quæ ad finem respectum quendam specialem habent, ne proferantur communia illa, *V. G.* precari, audire Dei verbum. &c.

§. 28. Circa hunc usum unicè observandum venit Oratori, ut & moveat, & moveatur: Is optimè concionatus est, qui efficaciſſimè movit. Huc pertinet 1. crebra *Interpellatio*, quâ auditorum animi simul comiter & graviter, imprimis conquerendo, obtestando, gemendo, ex intimo animi sensu iterum iterumq; vellicantur. *Rom. 12. v. 1. 2. Cor. 5. v. 20.* 2. crebra *repetitio* adhortationis. Iteratio enim affectionis expressio est.

§. 29. Usus *Epanorthoticus* dehortatur à vitiis cum reprehensione 2. *Tim. 4. v. 2.* Quæritur; an Pedevticus ei sit præ-an postponendus? Resp. 1. Non necesse est, ut semper & ubique uterq; adhibeatur, sed saltem quando Oratori consultum videtur. 2. Si autem uterq; adhibetur, & doctrina est de virtute, Usus Pedevticus præcedit, quia ille proximus est; si de vitio, Epanorthoticus, ob eandem rationem.

§. 30. Reprehensio 1. non sit sæva & iracunda, sed moderata & lenis, ut ex amore Jesu Christi eam fuere, & de

mera sua salute agi animadvertat auditor: *plus enim proficit amica correptio, quam turbulenta accusatio: illa pudorem incutit, hæc indignationem movet*, inquit Ambrosius. Et eleganter Augustinus: *Non asperè, quantum existimo, nec duriter, non modo imperioso delicta tolluntur, sed magis docendo, quàm jubendo, magis monendo quàm minando; Misericorditer corripiat homo quod potest, quod autem non potest, patienter ferat, & cum dilectione gemat ac lugeat.* Cautè E. Ministris Ecclesiæ agendum, debitaque in officio Elenchtico adhibenda prudentia, ita nempe, ut eos, qui ex infirmitate aut ignorantia peccaverunt, blandis admoneant verbis, cum exhortatione ad cavendos futuros lapsus, juxta Regulam Christi, *Matth. 18.* Publicè verò peccantes, & lapsu suo publicum scandalum præbentes, publicè quidem corrigant *1. Tim. V. 20.* attamen prudenter, ne excedatur medicinæ modus, & ut severitatem disciplinæ semper temperet mansuetudo lenitatis. Pro rei tamen gravitate subinde acrior esse debet reprehensio, & cum sancta severitate haut leniter pungens, ne adulatio veriùs videatur, quàm reprehensio. *Marc. 8. 17. Gal. 3. 1.* Audi hîc Philonem Carpatium. *Unde Salomon inquit; meliora sunt verbera diligentis, quàm fraudulenta oscula inimici: hæc enim ad perennem salutem faciunt, illa miserrimè occidunt. Utinam ab his assidue cæderetur Sponsa, verberibus afficerentur homines; non ità, heu! miseri Christiani quotidiè per assentationes prædicantium infelicissimè perirent. Hinc tanta peccatorum labes, hinc illa corruptela morum, quâ singulæ fideles animæ indies magis ac magis turpiter inficiuntur. Nam cum in omni cœtu hominum, tum in Religione Christiana assentatione nihil est perniciosiùs, eorumque præsertim, qui commovendi & objurgandi cæteros officium susceperunt. Hi sunt qui peccata populorum devorant (ut Ezechiel exclamat, vel potius Dominus per Ezechielem) cum scelera reprehendere non audent, vel ob munera peritura ac commoda, vel ob gratiam & amicitiam profanorum & divitum quos sibi venantur, vel ob humanam laudem ac gloriam, vel ob metum amittendi terrena bona, & fomenta gulæ & luxus, vel (ignavi ac tepidi) calumnias pro Christo Jesu, opprobria, verbera, carceres, exilia, mortemq; timent. At veri Christi servi & bellatores omnibus obstare audent pro veritate dicenda & conservanda: Nihil extimescunt, nihil loquuntur ad gratiam, nihil assentantur, sed honesta omnia vera & sancta prædicant, vitia omnia acerrimè insectantur atq; reprehendunt, vel Regum*

l. 8 in Lucem

Epist. 61. ad aurelium.

In Cantic. 5.

& Prin-

& Principum, nulli (nisi bono & Deo) placere student. Hi se peccatoribus murum opponunt, ut idem Propheta monet. Hi resistunt Hæretici, his solius Dei timor est & pavor; hi fortissimè pro Christo pugnant, & gloriosissimè oppetunt. Ab his quàm plurimi convertuntur ad Sponsum, dum suorum scelerum apertissimè moniti, verissimèq; convicti & quanta inde passuri sint supplicia, nisi se celeriter corrigant, intelligunt. Hi sunt qui sanctissimè cædunt, & saluberrimè vulnerant. Ab his cupiant peccatores sibi vulnus salutis infligi, ab his velle curari: ab his enim satiùs est ad tempus occidi, quàm ab adulantibus ad gehennam exosculari. Teterrima pestis urbibus assentatorum vita, tabificus morbus eorum consuetudo adolescentibus, domibus ruinæ, monasteriis eversio, Christianæ Religioni extrema calamitas, omniumq; malorum seminarium & origo. Ab his falsis custodibus Ecclesiæ longissimè fugiat omnis anima fidelis: ab his declinet, horum mores perosi boni viri, ad illos solos confugiant, à quibus non laudari, sed objurgari, & corripi malos intelligunt: his se credant, ab his moneri & erudiri ad salutem velint. Ab his sæpe videmus delitiosos & opulentos homines per veram prædicationem morum ad summam parcitatem, continentiamq; traduci. Nam qui nuper purpuratus & otiosus sedebat in foro, auditis æternis bonis atq; supplicijs, quibus boni atq; mali remunerandi sunt omnino, statim mutata vitâ & moribus jejunat, vigilat, orat, æstuat, humi jacet ac plorat. Jam enim salutariter vulneratus est in mente, sauciatus in anima, percussus in corde: hæc enim vexatio dat intellectum, hæc peccatores excitat ad pœnitentiam. Stat in excelso, inquit Dominus, & annuncio populo scelera sua. Loquamur veritatem unusquisq; cum proximo suo, quia sumus invicem membra, ut Paulus admonet. Nolite quæso abblandiri prædicatores verbi, nolite placere auribus: ne in illud Apostoli incidamus: coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus: quin illud potius amplectamur: Prædica verbum, insta oportunè & inopportunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.

Si quæras; quomodo ii tractandi qui nullo recepto remedio in scandalo publico contumaces persistunt? Responsio manifesta est ex Matth. 18. v. 17. Dic Ecclesiæ. Loquitur autem, quod probè notandum contra Pontificios, Christus non de doctrina, sed de morum censura, nec de Ecclesia universali, sed quâvis particulari. Sunt ex Patribus, quos citat Lapidensis, qui Ecclesiam hic collectivè sumunt, pro toto fidelium cætu; Hieronymus, Anshelmus, Gregorius. Alii, ut Chry- adb. L

Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius *repræsentativè* pro Presbyteris, Ecclesiam vel seorsim, vel in Synodo repræsentantibus.

in prælectionib. ad Matt. 18. 17. Hanc sententiam illustrat & prolixè probat vir acutissimus Joh. Camero *Ecclesiæ nomine*, inquit, *videtur Christus significasse Collegium Presbyterorum, qui Ecclesiæ Christianæ erant præfuturi, cujus Presbyterii mentio fit* 1. Tim. 4 quo loco Apostolus Timotheum hortatur, *ut ne negligat donum sibi indultum, per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii. Nam quod vir doctus Presbyterium eo loco vult significare officium & dignitatem Presbyteri, neq; videtur locutioni convenire, neque significationi vocis Presbyterii, nec Apostoli Scopo. Nam primò locutio est admodum dura, ut impositio manuum Presbyterii significet dignitatem Presbyterii, nam oratio explicita sic se habebit, Impositio manuum dignitatis Presbyteri. Deinde sæpiùs fit mentio in N. T.* πρεσβυτερίας, *at nunquam significat* τὸ πρεσβυτέριον *in in locis officium sed Collegium. Ut Luc.* 2. & Act. 22. *Et linguâ Græcâ* πρεσβυτερεῖον *dignitatem Presbyteri significat potiùs quàm* πρεσβυτέριον. *Attamen rarò* πρεσβυτέριον *significat item dignitatem Presbyteri, sed ubi* πρεσβυτερεῖον *legi posit. Quicquid sit, non redolet simplicitatem Phraseos Apostolicæ, Presbyterium usurpatum pro officio Presbyteri. Denig, Timothei autoritas major fuit, quàm ut* πρεσβυτέριον *aut* πρεσβυτερεῖον *ejus officium dici posit Nam cap.* 5. *hortatur Timotheum Apostolus, ut ne accusationem adversus Presbiterum admittat, nisi probetur trium, aut ad minimum duorum testimonio. Jam verò Presbyter in Presbyterum nullam obtinet autoritatem, par enim in parem non habet imperium. Quid igitur fuit ista impositio manuum Presbyterii? Non potuerunt Apostoli Timotheum constituere eo loco quo fuit in Ecclesia? Omnino, sed Apostoli constituto ordine Ecclesiæ non faciebant quantum illi licebat, sed legati ad ordinandam provinciam jussu Regis, constituunt pro arbitrio judices, provinciâ verò ordinatâ committunt administrationem provinciæ Judicibus & Legibus, secundum ordinem quem instituerunt: Ita planè se gesserunt in executione muneris à Deo sibi mandati Apostoli, non semper usi sunt extraordinariâ potestate, sed rebus jam constitutis ordinariè in Ecclesia rem geri volebant. Itaque nullus est dubitandi locus, quin Timotheus à Seniorum collegio electus fuerit, qui toti præesset Collegio, & quidem non sine autoritate aliqua, sed quæ modum tamen & limites suos*

habe-

ret. Qui autem fuerint hi limites, judicare facile est, si habeamus ob oculos quod fieri solet in omnibus ferè Collegiis, nempe unus aliquis est, qui etsi omnia non possit, aliquid tamen potest, nempe (quando res poscit,) Collegium referre, etiam collegas suos seorsim, si minùs rectè faciunt officium, objurgare & monere, &, nisi agatur res maxima, castigare. Sed quò minus Ecclesia presbyterium significet Ecclesiæ Christianæ, duo ista primum obstare videntur. Ecclesia multitudinem Christianorum significat in N. T. Presbyterium autè est collegium τῶν πρεσβύτων, cujus Collegii erat πρεσβὺς unus, non potest enim stare sine præside unum collegium. Deinde verba Christi, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus, non possunt referri ad tempora Nov. Test. sed pertinet propriè ad Ecclesiam Judaicam. Verùm prius illud facile est diluere, nam Ecclesia perinde multitudinem significat in Novo Test. ut Sancti dicuntur quilibet Sancti: at verò 6. cap. ad Corinth. Apostolus Corinthios graviter reprehendit, quòd non detulerint cognitionem litium suarum Sanctis, non intelligit autem promiscuam multitudinem (ut supra à nobis probatum) sed eos qui in Ecclesia constituti erant, ut vacarent gubernationi Ecclesiæ: quemadmodum igitur Apostolus sanctus dixit quosdam & præcipuos ex Sanctis, sic Christus Ecclesiam dixit quosdam & præcipuos ex Ecclesia. At, inquiet quis, Principes Christiani non sunt in Ecclesia præcipui? Resp. Verum id esse in sensu diviso, hoc est, sunt præcipui, & sunt in Ecclesia, attamen non est verum in sensu conjuncto, eos esse præcipuos (ut ira loquar) Ecclesiasticos, non enim obtinent Principes directè autoritatem Ecclesiasticam, sed indirectè. Non quod velimus ulla in causa, ullum eximi Jurisdictioni Principis, sed quia ejus jurisdictio non nisi per media Ecclesiastica pertinet ad conscientiam; nempe Princeps non prædicat Evangelium, non ligat & absolvit peccatores, at de officio principis est dare operam, ut sint qui prædicent Evangelium ut sint qui ligent & solvant peccatores. Uno verbo; perinde Principis est curare salutem animarum ac ejusdem est saluti corporum prospicere; non est autem Principis, providere ne morbi grassentur directè, esset enim Medicus: at indirectè tamen Princeps id studere debet. Itaq; Magistratuum Collegium nullo modo Ecclesia dici potest, imò quatenus Magistratus est de Ecclesia, subjicitur hac in parte Collegio Ecclesiastico. Neq; tamen ista inter se pugnant, idem ut imperet Collegio Ecclesiastico, & pareat idem: imperat enim quemadmodum Medico imperat Rex, paret, ut paret Medico, nam

si Medicum facientem officium morte mulctet, non faciet quod decet Sapientem Principem, sed quod faciunt furiosi & insani; sin venificum afficias extremo supplicio, faciet quod jus est & fas, & quod non facere nefas esset. Sic impii Reges & insani Prophetas jusserunt interfici; Pius Rex & idem sapientissimus David Nathaemem exosculatus est. Cæterum accipiatur cauto parendi verbum, Rex enim cum Senatui Ecclesiastico paret, non paret illi obœdientiâ civili quæ Collegium respiciat, sed obœdientiâ religiosâ quæ Deum respicit. Sic qui Lictori misso à Senatu parebat, non parebat Lictori, sed Senatui. Alterum vero illud, quantumvis speciosum sit, tamen (pace omnium dictum sit) futile est. Nam solet Christus nti locutionibus ductis à consuetudine sui temporis, ad eas res significandas quæ contingere debuerunt post ejus ascensionem in cœlum, quarum locutionum complura exempla à nobis supra annotata sunt. Itaq; non necesse est, ut, quoties Christus utitur locutione significante rem quæ tum fiebat cum verseretur in terris, toties putemus Christum nihil aliud voluisse. Deinde Paulus temporibus N. T. locutionibus usus est ductis à consuetudine Ecclesiæ Judaïcæ 1. Cor. 16. Si quis non amat Dominum JEsum, sit anathema Maranatha. Adhæc omnia & illud accedit, quod Ecclesiæ illa rectè dicuntur dici, quæ dicuntur in qui Ecclesiæ præsunt cum autoritate, nam quemadmodum corpus dicitur videre, cùm soli videant oculi, sic Ecclesia audire id dicitur, quod ii audierunt soli qui sunt veluti Ecclesiæ oculi: non quod Antistites sint multitudinis hac in parte vicarii, neq; enim oculi vicarii sunt pedum & manuum, sed quemadmodum corpus totum quoddam est, cujus membra singula suas habent functiones, ità planè Ecclesia est veluti corpus quod constat ex plurium membrorum compage, quibus singularia munia tribuuntur. Itaq; ut qui aliquid objecit oculo conspiciendum, corpori dicitur id objecisse, cùm tamen non sit singularum corporis partium videre, ita qui Collegio Presbyterorum aliquid detulit, aut verò Præsidi illius Collegii, Ecclesiæ rem detulisse videtur, cujus id Collegium pars est.

Hugo Grotius per Ecclesiam vult intelligi præter Presbyterium οἰκοδομὴν quendam ἱερὸν ex multitudine constitutum, non tàm ad judicandam fratris litem, quàm corrigendum fratris delictum. Præstat ut ipsum audiamus. Ita verò scribit: Primaria præcepti causa est, ut vel sic ad rectam viam reducatur, motus tot piorum, factum suum improbantium, consensione. Jam diximus nihil à Christo novum præcipi, sed

in loc. cit. Matth.

sed morem rectè introductum probari. Judæi, quamvis omnes in unum templum coirent, & templi Ceremonias inter se sociarentur; habebant tamen varia corpora disciplinæ causâ instituta. Ita Pharisæi à Saducæis, utrique ab Essenis, institutis & cœtibus propriis distinguebantur. Rursum inter eos, qui Legis peritorum autoritatem sequebantur, Scholæ erant diversæ: Philo vocat ὁμίλους, κοινὰς, συλλόγους, κοινὰς συνόδους. Pythagoristæ ὁμήθιον vocabant cœtum suum. ἱερὸν σύλλογον interpretatur Hierocles. In his cœtibus tractari solebant quæ ad concordiam, atque εὐταξίαν cœtus pertinebant. Talem cœtum, manente etiam lege, neque factâ à Judæis cæteris secessione, Christus jam colligere cœperat: quem ipse more Hebræorum vocabat עדה, Discipuli Græcè scribentes ἐκκλησίαν, interdum & συναγωγὴν, ut solebant olim eæ voces promiscuè usurpari. Notatur in lib. סנהדרין decem homines facere עדה, id est ἐκκλησίαν. Idem est in Gemara Melilah c. 3. Errant, qui de Judicibus publicis agi hîc existimant. Non enim hoc docet Christus, quomodo damnum nostrum commodissimè sarciamus, quod ille ut βιωλικὸν exprudentiæ & æquitatis regulis unicuique æstimandum relinquit: sed quomodo errantem reducamus in rectam viam. Sed neque προσβυθέρου τῆς συναγωγῆς solùm hic indicari, ex his quæ jam adduximus, satis puto apparere. Mos enim fuit Hebræis, rem ultimo loco ad multitudinem τὸ ὁμοζήλων, id est, eorum qui eadem instituta sectarentur, perducere; cujus tamen multitudinis Judicia Seniores tanquam Præsides moderabantur: quod, ut multa alia, servatum à Christianis, tùm alii Scriptores, tùm Tertullianus nos docet: Coimus, inquit, in cœtum & congregationem (hoc est Ecclesiam) ut ad Deum quasi manù factâ precationibus orantes. Deinde; ibi de etiam exhortationes, castigationes & censura divina. Mox, præsident probati quique Seniores. Similia videmus apud Cyprianum & alios. Sententia hæc ferè, ob adductas rationes, arridet. Quicquid autem sit vel de Synodo, vel de cœtu, vel de Presbyterio; miserè sanè agitur cum illa Ecclesia, in qua nec Presbyterium vel constitutum est, vel agnoscitur; nec de Synodo aut cœtu cogendo ii, quibus curæ esse debebat animarum salus, unquàm cogitant. Multa (quod dolendum!) in istiusmodi Ecclesiis animarum millia detruduntur in inferni abyssum: Multa suspiriorum millia fidelibus

Christi ministris, quibus damnum Josephi cordi est, extorquentur. Unius enim non est, quod toti Ecclesiæ à Christo tribuitur. Dolendum eheu! & gemendum est sinceris JEsu Christi amatoribus.

§. 31. II. Non sit *personalis* reprehensio, nisi singularis casus poscat, sed communis & tacita. Tum autem necessitas flagitat ut sit restrictior, & ut barbarè loquar, personalior, quando ab hoc vel illo flagitium commissum est & insigne & notorium. *Notoreitas* autem ista (1) postulat vel totius Ecclesiæ particularis, vel certè maximæ partis Christianorum in illa Ecclesia, notitiam certam (2) æstimanda est non ex conjecturis & suspicionibus quibusdam, sed aut ex confessione ipsius rei, aut ex sufficiente illiq convictione aut rumore constante & non variàbili, eoq; certis signis cõprobato. Qui enim garrulis mulierculis credunt, inquit Chemnitius; sæpe cum larvis pro cathedra pugnant, & ea carpunt, quæ nunquam facta. Interim non adeò personalis esse debet, ut peccator nominetur. Ejusmodi enim Epanorthosis plus destruit quàm ædificat. *Ego*, inquit Ambrosius, *neminem nominavi, conscientia sua unumquemq; conveniet.* III. Sit rectè *ordinata*, ut observentur ii admonitionum gradus, quos Christus posuit. *Matth. 18. 15. 16.* Cur enim pudore abs te alienabis, quem amore tibi poteras obligare? IV. Non vitiorum ignotorum & inauditorum, sed in Ecclesia occurrentium. V. Non Pharisaica sed *humilis*; sic ut adhibeatur excusatio sui & provocatio ad auditorum conscientiam. VI. Affectus tristes, sc. querelas, deplorationes, similiaque inserat ac tandem consolationem subjungat. VII. Sit *universalis*, sine personarum acceptione, in quoscunque peccantes, tàm Reges quàm Subditos. Lutherus; Das Predigampt ist nicht ein Hoffdiener oder Bauren-Knecht / sondern es ist ein Gottes-Diener und Knecht / und sein Befehl gehet über Herren und Knechte. Vid. *1. Sam. 15. v. 19. 2. Sam. 12. 9.* Singularis tamen in reprehensione Magistratus adhibenda est Ecclesiastæ prudentia, ne vel propter leviora & occulta peccata Magistratum statim publicè arguat; vel Tribunitiis suis clamoribus apud subditos despectum, disobedientiam aut seditionem contra Magistratum excitet. Conf. Gerhardus, &

Epist. 83.

Tom. 6. Jenens. Germ. fol. 384.

in loc. de Min. Eccles. §. 28.

Baldus-

Balduinus. Universalis quoque debet esse & directa in quæcunque vitia, tàm minima, quàm maxima. Nam etiam occulta cordis confundenda sunt, & peccatorum larvæ detegendæ, quò redargutio intimius penetret & pungat. Elegantia sunt verba Hornbechii: Sanè dum subtiliores quotidie peccandi viæ & patrocinia excogitantur, profundiori examine opus est. Ipsam cordis arcem, peccati progressus, Schematismos, exceptiones, defensiones, subtiliores quasque maximè, impetere necesse est & curare. VIII. Sit peccatis proportionata; nec enim magna leviter sunt perstringenda, nec in res leviusculas tragicè detonandum. IX. Non fiat verbis acerbis, multo minùs injuriosis, ne Ecclesia scandalizetur, & ipsi ab offenso injuriarum actio intentetur. Quamvis & hîc admonendi sunt illi, qui judiciis Ecclesiasticis præsunt, ne ad processum juris adversus Ecclesiæ ministros nimium properent. Non enim in Ministris officio suo aliàs ritè fungentibus præsumitur animus injuriandi, sed potius animus tùm delinquentem ipsum corrigendi, tùm Ecclesiam, quæ, nisi offensa est, offendi tamen potuisset, prænonendi. Quis in marito, patre, præceptore præsumit animum injuriandi, etiamsi is convitia jaciat in uxorem, filium, discipulum? Quis sanæ mentis homo non potiùs judicat, reprehensionem istam, utut acerbam, & sensui carnis ingratam, ex animo paterno & salutis ipsorum sitiente profectam esse, ut nimirum à perversitate morum abstrahantur, & ad frugem meliorem revertantur? Videant illi, qui ambabus manibus actiones, nescio, quas non contra Verbi ministros arripiunt, neolim male vapulent, quia debitæ pietatis & reverentiæ erga S. Ministerium obliti, & ipsi pium Zelum in ministris extinguere tentant, & ab aliis officii eorum potestatem & autoritatem, quam sanctam & sartam conservari Deus vult, imminui & extenuari patiuntur. Interim caveant Ecclesiastæ, ne terminos officii sui excedant auditores convitiis proscindendo, maximè ubi propria res agitur. Hujusmodi enim reprehensionibus nihil ædificatur, nihilque efficitur aliud, nisi ut animi ovium à suis pastoribus abalienentur, dum vident eas increpationes non tam ex zelo quodam justitiæ, quàm ex odio aut privata vindicta suscipi.

de Casibus Consc. lib. 4 c. 7. cas. 9.

§. 32. Usus *Consolatorius* homines infirmos & afflictos erigit, ipsorumq; dolorem & metum vel tollit, vel saltem minuit. Debet

omnium esse frequentissimus, vivacissimus & efficacissimus. Commendatur *Esaiæ 60 1. 2. Phil. 2. 1.*

§. 33. In hoc usu peculiarem locum habent characteres seu signa status gratiæ *Job. 13. v. 35.* Signa autem nonnisi judicioßissimè & cautè adhibeantur, imprimis non obscura, nec dubia, ne auditor afflictus vel infirmus in abyssum desperationis detrudatur Præstat hanc partem omittere, quàm non solidè tractare; maturum hæc res judicium & praxin exposcit.

§. 34. *Accommodatio* usuum fit per *transitionem* à thesi ad hypothesin. Ubi sæpe ad ipsa individua descendendum. Nec tamen in omnibus conclusionibus ex textu deductis id necessarium est: sed tantùm, vel cum ardua doctrina & perquam necessaria tractatur, vel cum obstinati peccatores adsunt, qui specialissimè monendi & corrigendi. Concionatori Juveni, qui in officio constitutus non est, haut convenit, ob ignorantiam casuum in Ecclesia singularium. Aurea regula est: *Ad Consilium de Ecclesia dandum, caput est, nosse Ecclesiam:* ut autem noscas Ecclesiam, diligenter in vitam & conditionem uniuscujusque inquiras, necesse est, quod juveni non congruit nec possibile est.

§. 35. Quæritur; *an loci communes explicationi sint inspergendi, an subjiciendi?* Resp. Inseritur usus cum in isto loco, in quo Argumentum probans conclusionem invenimus, statim doctrinam proponimus, antequam ad cœteras paraphraseos partes devolvamur. Subjicitur, cum vel uni parti generali, vel etiam omnibus Paraphraseos partibus absolutis subjungitur. Unicâ distinctione quæstio tota solvi potest; si partes explicatæ ad eundem spectant scopum, subjiciatur usus, alioqui eadem nonnunquam videntur repeti: Si verò partes explicatæ sunt planè diversi generis, tum non inutile est primæ parti nonnullas doctrinas addere, ut tædio auditorum occurratur & major rerum varietas in concione appareat. Interim tamen illas doctrinas convenit ad finem reservare, in quibus maximum πάθος reperitur.

SECTIO

Sectio Specialis V.
De Confutatione.

§. 1.

Confutationem profani Rhetores peculiarem Orationis partem constituerunt, quia Generi Judiciali, quod potissimam Rhetoricæ partem absolvit, necessaria est. Et sanè, licèt non in omnibus, tamen in quibusdam Orationibus Ecclesiasticis adhiberi debet, si caput doctrinæ, quod confirmavimus, ab Hæreticis Ecclesiam infestantibus impugnatur, quò auditores magis fundentur & ab Hæreticis sibi caveant. Repeti hîc possunt quæ supra de usu Elenchtico sunt dicta.

Sectio Specialis VI.
De Peroratione.

§. 1.

Peroratio est vel *proxima*, vel *remota*.

§. 2. Proxima constat *enumeratione*, *concitatione*, & *voto*.

§. 3. Enumeratio præcipua Concionis capita brevissimè repetit. *Hebr.* 8. *v.* 1. vel hâc formulâ; Haben derowegen gehöret wie wir wandeln sollen. Sed non & hæc usq; adeò necessaria est, & sæpe omitti potest.

§. 4. Concitatio affectum aliquem insignem ad præcipuum totius Concionis scopum pertinentem movet. Hæc brevis esse debet & nervosa, alacris & excitata, veluti jam partâ victoriâ. Sicut enim cum portum prospiciunt nautæ, sese omnes excitant ad strenuos & hilares promovendæ navis labores; Sic Concionator excitatior

tior fieri debet & sese velut totum effundere, cum concionis suæ finem prospicit.

§. 5. Votum proponitur in forma *vel* gratiarum actionis, *vel* precationis, his ferè formulis. Der vielgütige GOtt sey für seine Gnade gelobet. Vel; Helffe nun GOtt / der Vater JEsu Christi / daß wir dieß Wort in einem feinem gueen Hertzen bewahren / und Früchte bringen in Gedult! Amen. Ita plerumq; Epistolæ Apostolicæ finiunt *Rom. 16. 24. 25. 26. 27. 1. Cor. 16. 23. &c.*

§. 6. Nonnunquam Epilogus fit ex abrupto. Sic Bernhardus Serm. 61. super Cant: hâc formulâ finit: *rumpamus sermonem*, gnug für dießmal / hiebey lassen wirs bewenden. GOtt sey gelobet / Amen! Vel additâ precatione per Apostrophen ad Deum O Heiliger Geist / der du bist das Pfand unsers Erbes / versiegele dieß angehörete Wort in unserm Hertzen zum ewigen Leben.

§. 7. Circa Epilogum proximum hæc sunt notanda. 1. operam dandam ut masculè & expeditè desinamus, orationis tamen non importunitate, sed lenitate & suavitate. 2. repetitionem nonnisi nervosam instituendam eorum, quæ maximè volumus auditorum animis inhærere. 3. cavendam tædiosam prolixitatem, ne prolixis concionibus prolixi addantur Epilogi. 4. Lutheri monitum observandum, quo tunc finire jubetur concionator, quando populum cernit attentissimum, ut sc. alacrior postmodum redeat.

§. 8. Remota Conclusio fit post precationem communem & Orationem Dominicam; plerumque desumitur ex *Phil. 4. 6.* nonnunquam ex *Num. 6. 25. 26.* In quibusdam Ecclesiis planè omittitur.

CAPUT IV.

DE MEMORIA.

§. 1.

HActenus Concio ut formanda, nunc ut *habenda*. Ad hanc spectant Memoria & Actio.

§. 2. *Memoria* res & verba pro Concione habenda animo

nimo impressa firmiter tenet. Illa species seu Phantasmata & *condi* instar reservat, & *promi* instar reddit. Quia in cerebro residet, præstantia ipsius pendet à moderatâ quadam siccitate cerebelli, & spirituum claritate. Unde Aristoteles docet, illam temperiem conferre optimam memoriam, quæ nec nimiâ frigiditate congelata torpeat, ut in pituitosis: nec nimiâ caliditate inquieta & instabilis æstuet, ut in biliosis: nec humiditate nimiâ diffluat, ut in infantibus & pueris: nec immoderatâ siccitate sit indurata, ut in senibus, melancholicis, & illis, qui ferè omnem memoriæ succum studiis ac vigiliis exhauserunt. Illustratur hoc similitudine ceræ, quæ si durior sit, difficulter imaginem admittit, sed admissam diu servat: Si verò mollior, facilè quidem imaginem recipit, sed non ira fideliter servat.

§. 3. Ad memoriam comparandam media quæ faciunt, sunt *vel* Medica *vel* Rhetorica.

§. 4. Antequam autem Remedia suggeramus, necesse est ut investigemus, quomodo, quibusve instrumentis actio memorandi in sanis perficiatur? Conveniunt plerique in assignatione cerebri ac Spirituum animalium, Requiritur E. ad bonam memoriam (1) ut ipsum cerebrum à natura benè sit dispositum: quæ dispositio naturalis poscit, *tùm* bonam substantiam, tenuem puta & subtilem, non crassam. Etenim à tenui substantia cerebri Spiritus animales moventur expeditius, in crassa vero impediuntur. Et quo cerebri substantia est tenuior ac purior, eò etiam tenuiores & puriores Spiritus in eo generantur. *Tùm* bonam temperiem quoad qualitates. Cerebrum enim certum caliditatis & humiditatis gradum ad actionem memorandi requirit; idque vel ex eo patet, quod infantes ob nimiam humiditatem in hâc functione minùs valent, quâ absumtâ & corpore indies sicciore evadente, facultas hæc magis sese exserere incipit. *Tùm* justam quantitatem, figuram & conformationem. Deficit enim calidum nativum, in quo cerebri virtus & Spirituum agilitas consistit, quando cerebrum vel nimis parvum est, ac proin pauci caloris receptaculum; vel nimis magnum, cui quantitas calidi non respondet, sed propter ingentem molem in eo quasi dispergitur. (2) ut Spiritus animales rectè sint constituti, quia hi proximum animæ in functionibus obeundis sunt instrumentum. Si quæras; *quænam cerebri temperies memoriæ sit aptusima*? Resp. Sicca cum moderato

calore juncta. Nimia humiditas calorē obruit. In humido cerebro multi spiritus commeantes sese tanquam circuli in aqua secant; & in humido cerebro multa inter intellectum ac species servatas interponuntur, quæ si fuerint crassa, fit oblivio; si mobilia, dilatio recordationis. Nec obstat id, quod ante adduxi mo simile de cera molli, cui figura faciliùs imprimatur. Nam (α) simile id est, non argumentum demonstrativum. Si accuratius loqui volumus, species non recipiuntur in anima, sed à spiritibus ad animam deferuntur. Et si reciperentur, an durities obstaret? Nonne in speculo etiamsi duro, imago recipitur? Species sunt, de quibus loquimur, non corpora. (β) nec omnem, sed nimium saltem cerebro denegamus humiditatis gradum. (γ) nec sufficit, ut species recipiantur, sed requiritur insuper ut retineantur & reddantur: in humore autem diffluunt.

Calorem requirimus, sed moderatum, non tàm affluentem, quàm nativum. Hujus enim copiæ actiones omnes vegetiores; defectus debiliores reddit. Calido innato omnes fere animæ actiones peraguntur. E. & actio memorandi. Et convenit ita esse. Nam quia vinculo quodam corpori anima alligari debebat, id tale esse debuit, quod in corporibus erat tenuissimum & efficacissimum: quale consensu plerorumque calidum est. Idem porrò debuit esse præcipuum instrumentum agendi, quia totum corpus animæ instrumentum est, maximè proinde illud, quod primum inexistendi fulcrum est. Deficit autem calor nativus ob varias causas. Applicari huc potest id quod habet Aristot. de igne, illum duobus modis perire, vel μαράνσει, marcore, tabe; vel σβέσει, exstinctione. Ad rem magis. Calidum innatum perit, *vel* defectu alimenti, ut in senibus: *vel* extractione & dissipatione: *vel* suffocatione; *vel* à contrario frigore: idque *seu* naturaliter, *seu* præternaturaliter. Si specialiùs. Præter ætatem defectum calidi innati causant. (1) *aër*; ut enim aër tenuis & purus subtilia; sic crassus & impurus tarda ac obtusa reddit ingenia. (2) *alimentorum frigidorum ac humidorum frequentior usus*, præcipuè eorum, quæ vim quandam stupefacientem habent, *V. G.* papaveris. (3) *Morbi & causæ morbificæ*, imprimis diuturni, maligni. Huc faciunt præ cœteris, cerebri abscessus, vulnera, contusiones capitis, venena, philtra, narcotica capiti aut cervici incautè applicata, medicamenta calidum nativum absumentia vel extinguentia, humores vitiosi calorem innatum obruentes, nimiæ

lib. 1. de Juventute & senectute c. 4.

nimiæ sanguinis profusiones, labores nimii, vigiliæ immodicæ, studia immoderata, & quicquid calidum innatum debilitare potest. (4) *Superfluus calor affluens*, qui inordinatum Spirituum animalium motum facit. Hæc intemperies nonnunquam à medicamentis inducitur. *Novimus aliquos*, inquit Sennertus, *qui dum Medicamentis calefacientibus ac siccantibus memoriam roborare vellent, cerebro nimium exsiccato, & calido nativo absumto, fatui ferè evaserunt.* lib. 1. part. 2. c. 5.

Hinc jam facile liquet, quomodo memoriæ succurrendum medicamentis & diæticis & therapevticis?

§. 5. In *diæta* comparandi ejusmodi cibi, qui apti sunt *tùm* ad calidum nativum conservandum, reficiendum, instaurandum; *tùm* ad Spiritus confortandos, torpidosque excitandos: nimirum ii, qui sunt tenuis substantiæ, moderate calefacientes & siccantes, hiq; aromatibus moderatè condiendi. Aer eligendus naturâ moderate siccans & calefaciens, vel talis arte parandus. Caput ab aeris externis injuriis, frigore imprimis & humiditate muniendum. Vini moderatus usus facit ad Spiritus exhilarandos & coctionem adjuvandam; copiosius autem sumtum vapores multos ad cerebrum mittit, qui caput replent, Spiritus turbant, & calorem nativum extinguunt. Fugienda crapula & ebrietas, ac si incommodum aliquod ex vini usu percipiatur, ejus loco substituenda aquæ mulsa, in qua nux moschati, cinnamom. cocta. Cerevisia utendum purâ, non vaporosâ multùm. Superfluæ humiditates cerebri evacuandæ. Fugienda sunt, somnus cibo proximus, itemq; diuturnus; vigiliæ nocturnæ; (Spiritus enim fatigatione nocturna resolvuntur & turbantur, sub noctem quoq; condensantur.) lucubrationes continuatæ; (nimio enim labore Spiritus obtunduntur ceu ferrum crebro usu, & calor innatus absumitur.) Studia statim à prandio aut cœna suscepta. Nam post cibum sumtum si aliquid meditari velimus, evocatur calor è ventriculo, & cum calore halitus crudi ac crassi, qui cerebrum infuscant. Præstat eligere tempus matutinum, quo Spiritus instaurati refectique sunt, nec organa coctionis in functionibus suis occupantur. Corpus exercendum moderatis laboribus. Extrema sæpe fricanda. Caput manè diligenter pectinandum, ut pori cutis aperiantur.

§. 6. Quod *Therapevtica* attinet, ne extrà oleas vagari videar,

ar, appono ea quæ habeo ex amica communicatione Viri Excellentissimi & Experientissimi Dn. D. Caspari Marchii, Professoris ac Practici apud nos dexterrimi & felicissimi, Compatris mei honoratissimi, amici singularis & in JEsu conjunctissimi; Is verò ita de hac materia.

Si quis fortè scire desideret, an & quibus remediis Medicinalibus succurri possit imbecilliori memoriæ, hunc prænoviſſe primum oportebit, quâ constitutione corporis nitatur Memoriæ felicitas, & quot modis lædi ea potissimum soleat. Cœterum consensus Medicorum rationem & experientiam sequentium unanimis est, tùm demum *optimè sese habere Memoriam, cum Spiritus animales lucidi & puriores, sufficienti quantitate liberrimo & moderatiori motu cerebrum pervagantur.* Lædi verò multifariam, *si vel substantiæ modo peccent Spiritus* vel *justo pauciores adsint*, aut *non libero motu gaudeant*, vel *inordinato etiam ferantur. Illud* accidere potest, ubi inidonea generationi materia adest, sanguis nempe feculentus, crudus, aut caloris excessu adustus; *Istud*, si vel deficiat, unde fieri poterant, materia, vel si sic satis generati, dissipati iterum fuerint aut alio profusi; *hoc* deniq;, & frequentissimè quidem contingit, *tùm*, ubi *vel* meatus cerebri superfluâ humiditate obstruuntur, *vel* singulari quadam narcosi ipsimet quasi stupefiant; *tùm* ubi vel intemperato cerebri aut totius corporis calore exæstuantes, aut indignatione quâvis fortiori (per animi graviora παθήματα) turbati immoderatius atq; inordinatè prorsus agitantur. His ita præcognitis, patet, non deesse utique pharmaca, quibus juvari apprimè memoria possit, ac talia imprimis omnia ea esse, quæ suâ tùm substantiæ aptitudine, tùm qualitate amicâ & specificâ virtute Spiritus refocillare, augere, illustrare & excitare valent, non exclusis etiam iis, quæ impedimenta Spirituum sive in cerebro, sive in toto tollere & profligare foras possunt, quorum, in numero purgantium, Diaphoreticorum, errhinorum &c. sunt fere innumera: qualia tamen hîc allegare, cùm citra prudentis Medici directionem usurpata periculo, sæpe non careant, nostri non est instituti, nec operæ pretium. Generalibus E. his (quæ negligi tamen minimè, sed nec adhiberi citra Medici consilium debent) præteritis, quædam saltem, quæ specialiùs scopum nostrum mnemonicum attingunt, hîc enarrabimus. Cœterum in hunc censum venire

nire præprimis ea posſenr, quæ commendari plurimum à nonnulliis ſolent, ac eoùsque extolli, quaſi liceret eorum uſu ſtupendam prorſus ac tenaciſſimam ſemel auditorum, lectorumve memoriam adipiſci, qualia ſunt: *Pulvis Trithemii* famigeratiſſimus, *Aquæ magnanimitatis* variæ, *aqua de Xyloaloë* Mynſichti, ejusdemque *Balſamus memoriæ* dictus, ut & *Mneme Cephalicus* ille apud Schröderum c. 41. lib. 2. Pharmacopææ. Verùm, cùm Generoſiora ejusmodi & apprimè calida remedia non ſine inſigni cautione uſurpari debeant, poſſitque eorum intempeſtivus uſus noxam inferre vix emendabilem, abſit ut nos talia haut providæ ſatis Juventuti hîc offeramus aut commendemus: præſertim cùm non morboſæ prorſus Diſpoſitionis curationem, quæ Medicis merito libris reſervatur, docere, ſed quomodo nativa cœteroquin ſanorum temperies & memoria in meliorem ſtatum deduci poſſit, exponere intendamus, quod utique ſenſim & moderatis, non vehementibus remediis fieri debere Jätricæ Profeſſionis viri jubent. Contenti itaque mitioribus, quæque minus dubii in promovenda tùm memoriæ, tùm ingenii & ratiocinationis felicitate uſûs eſſe poterunt, ſimplicia primum enarrabimus, præparata ex his & compoſita quædam faciliora ſubjuncturi. Sunt ea, *Meliſſa* imprimis, *Bethonica*, *Majorana*, *Rosmarinus*, *Salvia*, *Roſæ*, *Flores tunicæ*, *Lavendulæ*, *Bugloſſæ*, *Radix Ireos flor. Calami arom. Sem. feniculi*, *Cortices Citri*, *nux Moſchata*, *Cinnamomum*, *Macis*, *Cubebæ*, *Cariophylli &c.* Ex his parari poſſunt vina potusve alii medicati, ſi unum alterumve quod magis gratum videbitur, in vino, cereviſia aut hydromelite infundatur, aut inter fermentandum cereviſiæ recenti adjiciatur, quâ in parte egregia imprimis ſunt *Meliſſæ*, *Rosmarinus*, *Salvia* & alia nonnulla. E. G.

℞. *Fol. Meliſſæ opt. m iij.*
Rorismarini m j.
Salviæ m ß.
Rad. Ireos ſl or. Unc. ß.
Cort. Citri recentium Unc. j.
Sem. feniculi dr. ij.
Cinnamomi dr. iß.
Macis dr. ß.
Inciſa & contuſa include linteo rariori vel ſerico & ſuſpend. in

tonnâ, cui Cerevisia recens tepensque adhuc fermentans infusa est. De qua postmodum primus alterve hausstus in prandio & cœna sumatur. Delicatioris palati qui fuerint, destillationi subjicere possunt species prædictas & similes, adhibito vel vino vel aquâ simplici aut aquis ex herbis recentibus extractis pro infusione. E. G.

℞. *Roris marini.*
Bethonicæ ad m ij.
Rosarum rubr.
Majoranæ.
Floris Buglossæ ad m ß.
Salviæ p. j.
Cortic. Citri recent. Unc. ß.

Infund. in Vini Mensura j. nostrate (1. Pott) destill. per Cucurbitam vitream circiter dimidium vini affusi, cujus omni mane sumatur cochlear unum, addità nonnunquam confectionis Alkermes drachmâ dimidiâ. Atque hoc quidem destillatum aptissimum est naturis frigidis aut temperatioribus; si qui verò calidioris temperamenti fuerint, rectius sibi consulent, si prædictas species in duplo macerent cum *aqua simplic. lil. convallium, Melissæ, flor. tiliæ, Rosarum*, ana Mensur. j. ac per vesicam destillari faciant circiter dimidium liquoris affusi, cujus cochlearia assumi possunt mane & vesperi, & cum iis aliquando aliquid *Corallorum, Perlarum*, aut *lapidum pretiosorum præparatorum.*

Cœterùm non opus est semper ad ejusmodi composita recurrere, sufficiet præparata simpliciora ex enumeratis simplicibus adhibere. E. G. *Spiritum* vel *aquam Melissæ, Conservam Majoranæ, Rosarum, Rorismarini, florum tunicæ, &c.* Item *Confectiones Sem. Feniculi, Cubebarum, Cinnamomi &c. Cortices Citri*, imprimis verò, *nucem Moschatam* seu *Indicam conditam.* Quin & expediet de *Nuce Moschata* subinde tantillum assumere, ut & *Cubebas* & *Mastichen* masticare, quippe quæ & superfluum humorem è capite abstrahunt, & cerebrum Spiritusque animales roborare valent.

Conducet quoq; Rotulis uti tùm *Diambræ*, tùm *Diamoschi* dulcis, quæ paratæ passim in officinis prostant; aut si temperata magis adhibere necessum videbitur, sequentes pretiosas in usum trahere.

R. *Puly*

℞. *Pulv. rad. Ireos flor.*
Corall. rubr. pp. ana dr. j.
Bezoardici Lunaru
Cren. hum. pp. ana dr. ß.
Smaragdi pp.
Hyacinthi pp.
Margar pp. a. ſcr. j.
Confect. Alkerm, dr. j.
Ambræ gryſ. gr. vj.
Sach. in aqua Meliſſæ & Roſar. ſoluti Unc. iiij.
f. l. a. *Rotulæ* uſurpandæ pro lubitu.

Qui lotionibus capitis adſveti ſunt, iisque ſeſe non offendi perſpectum habent, macerare poterunt in lixivio herbas floresq; convenientes, quales ſupra allegavimus, aut utentur *Lixivio Minſichti*, quod *Sapientiæ* nominat, & miris deprædicat laudibus: fient tamen inſtius modi lotiones n. niſi rarò, ſingulis, vel alternis menſibus. Nec minus utile erit *odoramentis* gratis in ſuffitu adhibitis, *pomo ambræ*, ſimilibusq; ſpiritus ſubinde recreare; *Balſamos* etiam ex o/. *Nuc. Moſch.* expreſs. cum aliis appropriatis oleis deſtillatis, E. G. *Rorumarini, Lavendulæ, Majoranæ, Roſarũ, Caryoph* & *Cinamom*, modice mixtos naribus, & nuchæ admovere.

Plura non fert præſens inſtitutum, nec addere poſtulat neceſſitas, cùm ſuffiſere queant hactenus citata, ſi propitio Numine ejusq; gloriam ſpectante intentione uſurpentur, quod vovemus & apprecamur.

§. 7. Inter media Rhetorica recenſeo ea, quæ Eraſmus affert; Intellectum, ordinem, curam. *Ille* vult ut res primum intelligamus. Neque enim rei non intellectæ felix poteſt eſſe memoria: *Iſtæ* omnia ordinatè locat, ne memoria & nimium maceretur, & vel levicula de cauſa perturbetur: *Hæc* menti perpetuo velut cuſtos adeſt, ne diſtrahatur, ne vanis vagisque cogitationibus & affectibus quatiatur.

§. 8. Si ſpecialiora mavis, *Primum* medium eſt *crebrum à Juventute exercitium* & diligens reminiſcentia. Ubi duo notanda (1) Hoc exercitium imprimis impendendum eſſe dictis Scripturæ præcipuis ad verbum ediſcendis. (2) intelligendas eſſe res eas quæ legun-

guntur & memoriæ mandari debent: aliàs enim à memoria nec facile apprehenduntur, nec ei diu inhærent.

§. 9. *Secundum* est *quies* & *tranquillitas animi*, ut mens libera sit à curis & affectibus. Deficit memoria, quando cogitationes distrahuntur, & humores in corpore turbantur: utrumque fit per nimios affectus. Nonnunquam animi perturbatio oritur ex negotiorum multitudine, & tumultuaria rerum diversarum lectione, quæ non saltem curam & metum, sed etiam oblivionem gignit, dum variæ species in phantasia sese invicem turbant, obfuscant & confundunt. Quapropter suademus ei, qui concionem memoriæ mandaturus est, ut abstineat à gravibus imprimis & variis, & ad concionem minimè facientibus negotiis, nisi fortè oblectent. Cœtera per quæ animus turbari solet; ut pudor immodicus, auditorum novitas & multitudo, tandem consuetudine vincuntur.

§. 10. *Tertium* est *Ordo* & artificiosa *Dispositio*. Ordo ille consistit in discretione thematum & conclusionum ex themate deductarum; idque semper à generalibus argumentis descendendo ad specialia. Omnibus enim partibus veluti corporis membris cohærentibus, & à se invicem dependentibus ab una ad alteram sponte deducimur, & haut difficulter finē assequimur. Atque hinc patet, quàm necessarium sit, artis præcepta ad unguem cognita habere, quippe quæ sunt memoriæ bases & fulcra, quibus nititur & lapsa sese iterum erigit.

§. 11. *Quartum* est *Scriptio*. Nonnulli commendant imagines fictas pictasque, quibus aliquis sibi memoriam comparare possit. Verum merito ab aliis phantastica illa memoria improbatur. Duplex enim labor est, excogitare primò res & deinde rerum imagines; nec credi potest, quàm graviter memoria fatigetur, dum primo concipere imagines, & deinde iterato labore attendere cogitur, quid istæ significent. Scriptio præstat, quæ tamen omitti potest, quando Concionaturus Eloquentiæ præcepta exactissimè didicit, loca amplificationum in promptu habet, verborumque copiâ instructus est, quamvis & sic ab omni culpa absolvi non possit, si aliquod tempus scribendi suppetat.

§. 12. Cœterùm, qui Concionem scribunt, non omnes eandem rationem observant; Quidam, iiq; eruditi Theologi, à verbo ad

bo ad verbum eam scribunt. Idem suademus unicuique primum ad habendas Conciones animum applicanti (1) ob memoriam: fit enim ità, ut animus diutius rei immoretur, ac dum Concio chartæ inscribitur, simul inscribatur animo. (2) ob timiditatem. Nam exercitatione pedetentim animus assumitur. (3) ob verborum defectum, quorum copiam demum per exercitium crebrum acquiritur. (4) ob stylum, ut Scripturæ stylo eò melius assuescat; Attamen hoc successu temporis mutandum est, cum nimioperè memoriam debilitet, & libertatem in dicendo tollat, nisi forte, quod nonnullis placet, integra scribatur Concio, reservatâ interim libertate in elocutione & verborum delectu.

§. 13. Minimè verò puerilem illorum superstitionem probamus, qui verbulum non audent proferre, quod non annotaverunt, unde necessario timor & perturbatio in memoria oritur. Et periculum accedit, si in uno verbo impingant, ut in universo Orationis contextu facilè errent. Rectè Hunnius: *Memoriam onerare certo certorum verborum conceptu, & se ad certa verba adstringere, esset laboris immensi.* Imò & revelationi Spiritus S. fit injuria, qui ad pias preces in cathedra meliores subinde suggerit meditationes, quàm succurrerant privatim.

§. 14. Etiam multa scriptio molesta est, obtundit ac hebetat memoriam: nonnunquam tantum temporis vix suppetit, ut à verbo ad verbum concio scribi queat, & scripione tempus teritur, quod impendi meditationi & reminiscentiæ melius poterat. Proinde existimo, commodius esse non scribi concionem integram ab eo qui nonnihil exercitatus est: quod tamen eo non torquendum, quasi præcipua tantùm capita & argumenta generalissima conscribenda sint. Istiusmodi enim Concionatores, qui non ante cogitant quæ dicunt, quàm cum dicunt, nisi necessitate & temporis brevitate excusantur, in reprehensionem turpissimam incurrunt.

§. 15. Nonnulli E. thema cum argumentis generalibus, specialibus & specialissimis, dictis & exemplis consignant, additis paucis connectendi formulis, & cœteris meditationi reservatis. Et sic in Elocutione libertatem retinent. Hanc rationem scribendi Conciones amplectuntur Gerhardus, Hunnius, Tarnovius, Hülsemannus. Sed adhuc quæritur, quomodo ista realia scribenda sint? Nonnulli

putant, verbis Latinis. Aſt hoc vix omnibus ſine diſcrimine ſuaderi poteſt, & præterea geminus labor eſt, formulas connectendi Latinis verbis ponere, & poſtmodum ex Latino in Germanicum transferre ſermonem. Alii E. hoc Conſilium ſuppeditant, ut in duabus vel tribus chartulis formâ quadratâ complicatis verbis Germanicis ſcribantur argumenta, Dicta & præcipuæ connectendi formulæ, omiſſis illis quæ per ſe nota ſunt, & in meditatione facilè obſervari poſſunt.

§. 16. Nos optimum & compendioſiſſimum memoriæ ſubſidium eſſe putamus, ſi quis tabellam formet, inque eâ primo thema, ſub themate argumenta non quædam, ſed omnia, generalia, ſpecialia & ſpecialiſſima, adque latus argumentorum formulas connectendi ordine collocet. Hunc modum præferimus, his moti rationibus, 1. quia ſic breviſſimè omnes conceptus & realia ſcribi poſſunt, & quod ſuper eſt tempus, diligenti meditationi, in quâ multum momenti ſitum eſt, impendi. 2. In ſchemate ſ. tabella dependentia ſ. connexio partium, quæ præcipuum memoriæ adminiculum eſt, omnium accuratiſſimè obſervatur, & quaſi uno intuitu oculis ſubjicitur, ut omnia membra eò facilius comprehendi queant. 3. Experientia docet, quòd hâc ratione conceptus & faciſſimè infigantur, & tenaciſſimè inhæreant memoriæ. Dum enim quis inventione occupatus argumenta & conceptus ordine in tabula collocat, ſimul eosdem ſecundum ordinem illum ſibi imaginatur, imprimitque, ut eo ipſo dum concionem format, inſimul memoriæ tradat.

§. 17. *Quintum* medium memoriam juvans eſt meditatio & *reminiſcentia* Concionis, juxta illud Poetæ: *Sæpe recordari medicamine fortius omni.* Hæc quo modo, loco, tempore, inſtituenda ſit, attendendum eſt.

§. 18. Circa *modum* quæritur (1) *an debeat eſſe ſucceſſivæ?* Reſp. Si tota à verbo ad verbum conſignata eſt, Eccleſiaſtes, attente lectâ aliquoties unâ parte, eam mente revocet, atque ſic Concionem ſucceſſivè memoriæ mandet. Impoſſibile eſt eam ſimul & ſemel integram memoriâ complecti; rerum enim multitudine ſtatim in initio memoria obruitur & ſuccumbit: ſi autem tantùm realia

ſcripta

scripta sunt in tabella, uno actu tota concio comprehendi potest.

§. 19. Quæritur (2) *an debeat esse tacita?* Resp. initio Ecclesiastes tacitè secum volvat concionem in mente, postea cum murmure, & subinde elevatâ voce. Sic enim gemino motu pronunciandi & auscultandi memoria juvatur. Nam firmius memoriæ infiguntur, quæ voce clarâ proferuntur, & animus nobis additur ne facile hæsitemus.

§. 20. Quæritur (3) *Quoties reminiscentia instituenda?* Resp. ad summum bis vel ter. Nam si quis Concionem jam memoriâ comprehensam ultra modum ruminatur, animi vires valdè debilitantur. Postquam igitur periculum fecit Ecclesiastes, & Concionem se memoriter tenere novit, desistat seipsum macerare, & potius in Domino hilaria tractet.

§. 21. *Locum* quod attinet, eligendus est solitarius & ab omni hominum strepitu remotus. Commendatur ab Oratoribus locus non adeò lucidus, sed *obscurior*, ne varietate objectorum, quæ sensus movent, cogitationes & Spiritus dissipentur. Verùm satius videtur, ut quando concionem meditari incipis, locum eligas solitarium & opacum, posteà cùm ferme concionem memoriâ tenes, reminiscaris in aprico. Locus opacus enim tristitiam causatur, quæ memoriæ est inimica: quo sumus hilariores, eo meditamur promtius. Unde etiam tempore æstivo in campis, hortis, pratis, meditationes nostras instituimus.

§. 22. Nec minus eligendum est *tempus* oportunum: aptissimum autem omnes judicant *matutinum*. Tunc enim animus est maximè serenus: propter digestum cibum, copiam & subtilitatem Spirituum, qui per somnum recreati ad munera sua obeunda redeunt. Intempestivum E. est statim *à prandio* vel *cœna*, nondum digesto cibo, ad meditationem dilabi, quo calor à ventriculo avocatur, corporis vires exhauriuntur, & valetudini non parùm detrahitur; Cruditates inde oriuntur, quæ memoriam turbant, & actionem impediunt. Nihilominus non omnis post cibum sumtum improbatur meditatio. Si enim post cibum sumtum spacio quietis interposito & concoctione jam peractâ suscipiatur, suo non caret fructu, præsertim post cœnam, si perlustretur, vel ante perlustrata

recolatur concio, firmiter inhæret memoriæ. Per somnum in cerebro veluti concoquitur, & quasi in succum & sanguinem vertitur.

CAPUT V.

DE

ELOCUTIONE.

§ 1.

DIspositionem insequitur *Elocutio*, quam hic locamus, quia inter meditandum de elocutionum formulis cogitandum est. Versatur circa verborum delectum & connexionem, ut in Oratione luceat elegantia, compositio & dignitas.

§. 2. In genere nota (1) dictionem illam optimam esse, quæ ubique *linguam Spiritus S.* redolet. Quid enim convenientius, quàm ut res spirituales iis verbis ac phrasibus proponantur, quæ ipsum Spiritum S. autorem habent? 1. *Pet.* 4. 11 1. *Cor.* 1, 17. *Sine Scriptura*, inquit Clemens Alexandrinus, *loquimur nihil.* Et Nazianzenus: *Loquere quæ sunt Spiritus, & si possibile est, nihil aliud.* (2) eligendam esse masculam illam Eloquentiam, quæ pondere verborum efficacium res exprimit, præ illâ, quæ rei parum, verborum vero multum effutit, & postquam inani vocum sono vanoque tinnitu & illecebra aures demulsit, stimulos nullos, sed meram glaciem in auditorum animis relinquit. Nempe aliud est *Eloquentia*, aliud *loquentia.* Insulsum est verborum mare effundere, & rerum vix aliquas guttulas depluere. Eloquentia non est illa inanis & propè puerilis verborum volubilitas, quæ sæpe in populo insolenter se venditat, sed disertè & emphaticè loquens sapientia, quæ rerum pondere imprudentum animis cum suavitate illabitur. Augustinus *In ipso*, inquit, *sermone Doctor malit rebus placere quàm verbis: nec existimet dici melius, nisi quod dicitur veriùs: nec Doctor verbis serviat, sed verba Doctori. Hoc est enim quod Apostolus ait*; non in sapientia verbi, ne evacuetur Crux Christi. 3 Sermonem ad popularem captum accommodandum esse, non tamen vilem, sed majestaticum & gra-

lib. 6. Strom. *in Orat. de modestia.* *lib. 4. de Doctr. Christ. c. 28.*

vem: hautquaquam enim decet, de sublimibus verbi mysteriis abjectè loqui. 4. Non proferendas fabulas, item phrases futiles & ridiculas. 5. Sententias & verba exotica non modo non affectanda; sed datà opera fugienda, præsertim cum ea quæ peregrinâ linguâ proferimus nihilo magis emphatica sunt, quam si vernacula lingua proferantur. Nam quamvis subjungatur exoticorum verborum interpretatio, tamen insolitus verborum sonus imperitæ plebis aures offendit, ejusque attentionem dissipat, devotionem profanat, & verbi divini majestatem prostituit.

§. 3. In specie dignitas elocutionis præter vulgarem dicendi modum concionem insignit verborum & sententiarum luminibus, quibus Concionator uti potest & debet exemplo Christi, Prophetarum & Apostolorum, modicè tamen tanquam condimentis. Lumina hæc sunt *Tropi* & *Schemata*, quorum cognitio ex profana Rhetorica præsupponitur; hic saltem ad usum Ecclesiasticum accommodantur.

§. 4. Ex Tropis usurpantur ab Oratore Ecclesiastico *Metonymia*, *Metaphora*, *Synecdoche*, & omnium rarissimè *Ironia*: de quibus vide Alstedium, & Glassium in Rhetorica sacra, ubi tamen observetur, ut, si quis Tropum adhibere cogitat, non nisi illum adhibeat, qui in usu est, vel ex textu fluit, & facile intelligitur. Forsterus & alii huc referunt *Paræmias*: V. G. Die Gottlosen sind gar sicher/ gleich als wenn der Himmel voll Geigen hienge. Das Ey wil klüger seyn als die Henne. Verùm, quia hæc & talia, nisi perquam caute adhibeantur, sæpe risum movent, ut abstineant Concionatores imprimis Juvenes, suaserim. Idem in simili casu de *Mimesi* dixerim.

§. 5. Schemata seu Figuræ sunt vel *Dictionis*, vel *Sententiæ*. Ex Figuris Dictionis præcipuum usum in Oratoria Ecclesiastica habent *Anaphora*, *Anadiplosis*, *Climax*, *Paronomasia*. Ex Figuris Sententiæ; *Exclamatio*, *Apostrophe*, *interrogatio*, *Compellatio*, *Obsecratio*, *Adjuratio*, *Optatio*, *Sustentatio*, *Admiratio*, *Dubitatio*, *Aposiopesis*, *Communicatio*, *Prosopopœia*, *Dialogismus* & *Occupatio*. Hæ Figuræ, quia multum faciunt ad persvadendum & affectus movendos, explicandæ sunt & ad usum Ecclesiasticum accommodandæ.

§. 6. *Anaphora* eandem vocem in principiis Sententiarum repetit.

repetit *Psalm. 22, 2.* locum habet quando aliquid urgemus, vel in rebus splendidis, commendando; vel in atrocibus criminibus, vituperando; unde motus animi vehemens existit.

§. 7. *Anadiplosis* eandem vocem repetit in fine præcedentis & initio sequentis sententiæ. *Psalm. 121, 1.* Usus ejus est in rei explicatione & evidentia.

§. 8. *Climax* ab imis ad summa fertur, Oratione semper increscente 1. *Cor. 11, 3. Ps. 1. v. 1, 2.* Usus ejus est in rei progressu ob oculos ponendo.

§. 9. *Paronomasia*, quâ Patres multum delectati fuerunt, sonum non nihil mutatum repetit *2. Thess. 3, 11. Jacob. 2. 4.* Usus ejus est in redargutionibus Sarcasticis.

§. 10. *Exclamatio* sæpe occurrit in sacris literis *Gal. 3. 1.* Commodè adhibetur ab Ecclesiaste in Admiratione, *Ps 84. 2. Rom. 11, 33.* In Optatione *Ps. 14. 7. Gal. 5. 12.* In laudatione *Matth. 15, 28.* In Conquestione *Matth. 27, 46.* In indignatione & detestatione *Matth. 17. v. 17.* In Exultatione *Ps. 135.* & *Ps. 21.* In Obsecratione *Ps. 118. 25.* Utendum ea Oratori Ecclesiastico non nimis crebro, quia interrumpit textum Orationis sacræ, & affectationis speciem habet: sed parcè, in re ardua & sublimi, quando aliquid protulit, quo commotum existimat auditorem.

§. 11. *Apostrophe* Orationem convertit ad alias personas vel res, seu inanimatas, seu animatas. Valde usitata est in Scriptura *Esaiæ 1. v. 2. Rom. 11. v. 13.* & mirificè facit ad movendos animos. Habet usum in dicendi genere *Φορτικῷ*, id est, *impetuoso*: exprimit affectum admirationis, indignationis, doloris, gaudii, optationis, imprecationis & deprecationis. Operæ pretium est in singulis Concionibus unam vel alteram adhibuisse, præsertim in rebus magni momenti. *V. G.* si impietatem mundi, vel afflictionem Ecclesiæ describas; te illico converte ad Deum, ejusq; auxilium implora.

§. 12. *Interrogatio* percontatur aliquid ex alio *Jer. 5. 9. cap. 15. 6.* multum quoq; vigoris & aculeorum addit orationi, eamque reddit vividiorem. Cuicunq; propemodum affectui inservit, præcipuè abominationi *Joh. 3, 4.* Admirationi *Matth. 21, 20.* Expostulationi seu exprobrationi *Ps. 11. 1. & 50 v. 16.* Indignationi *Ps. 22. 2.* Optationi *Rom. 7, 24.* Recusationi *Matth. 28. Joh. 2, 4.*

§. 13.

§. 13. *Compellatio* à Rhetoribus dicta *contentio*, est quâ & adversario & auditoribus rem cognoscendam & dijudicandam relinquimus. *1. Cor. 1.* parcè itidem & non nisi in rebus magni momenti adhibenda est.

§. 14. *Obsecratio* est quâ enixè ab Auditoribus aliquid petimus. *Rom. 12. v. 1. 1. Cor. 1. v. 10.* Hanc quis, præsertim Juvenis Concionator, de re alicujus ponderis verba facturus sæpe usurpare debet, ut moveantur animi, tùm ad attentionem, tùm ad sui amorem.

§. 15. *Adjuratio* est, quâ auditores per nomen Dei vel propriam conscientiam, vel aliud quid sublime appellamus seu contestamur *Act 20. 26. 2. Tim. 4. 1.* usurpatur in rebus gravissimis, salutem totius Ecclesiæ spectantibus.

§. 16. *Optatio* desiderium nostrum explicat, & in omnibus & in omnis generis concionibus adhiberi potest.

§. 17. *Sustentatio* est, quâ animos Auditorum suspensos circumducimus, & tandem aliquid singulare & arduum subjungimus *Hos. 11. 8.* usurpatur in descriptione rerum singularium.

§ 18. *Admiratio* est, quâ animum suspensum notamus, & rem, de qua agitur, non satis nos intelligere vel comprehendere posse significamus *Deut. 28. 3.* adhibetur in rebus incomprehensibilibus, seu intellectu difficilibus.

§. 19. Huc referri potest *Dubitatio*, quâ utimur, *tùm* ut significemus & moveamus animi consternationem; *tùm* ut ingenti nobis proposito rerum cumulo, indicemus, nos nescire, quid eligendum, vel quid primo loco dicendum; *tùm* ut rei difficultatem unicuique ob oculos ponamus.

§. 20. *Prosopopœia* est, quâ sermonem & actus humanos tribuimus creaturis vel mortuis vel viventibus. *Psalm. 98. 8.* in quavis Concione adhiberi potest, si conveniens fuerit materia.

§. 21. *Sermocinatio* seu *Dialogismus* est, quo tribuimus personis quibusdam sermonem reciprocum seu Dialogum *Es. 63. v 1. 2.* In omnibus materiis & dicendi generibus convenienter usurpari potest, modo non sit nimis frequens.

§. 22. *Occupatio* id quod obsci potest anticipat & diluit, *vel* tectè, objectione dissimulatâ, *Rom. 9. 6. vel* eadem aperte posita.

Rom.

Rom. 3. 1. Adhibetur in Elencho & Epanorthosi, maximè quando cum contumacibus agitur. In simili casu rectè usurpatur *Permißio* & *Concessio*, quo eo felicius confundantur adversarii, nec elabendi ullam occasionem dehinc inveniant.

§. 23. *Aposiopesis* Orationis cursum ita abrumpit, ut partem ejus aliquam ferè principalem reticeat. Usurpatur in promissionibus 2. *Sam.* 5. 8. Commination ibus. *Ezech.* 34. *v*, 8. querelis *Gen:* 25. 22. habet vim valde exaggerandi.

§. 24. *Communicatio* deliberat cum illis, apud vel contra quos dicimus, judiciumque quasi illis offert *Esai.* 5. 3, 1. *Cor.* 4. 21. Usurpatur maximè in Epanorthosi; quando impium in Conscientia sua usque adeò convicimus, ut ipse seipsum suo testimonio & gladio jugulare cogatur.

§. 25. Figuris utimur ut affectum moveamus. *Affectus* est Concionis anima; sine quo tota est cadaver. In Pathologia autem sequentia Ecclesiastæ sunt observanda, 1. ut affectum illum quem intendit ciere in aliis, primo in sui ipsius animo excitet; si enim ipse langùescit, languebit etiam & frigebit tota oratio: ardens ipse inflammet alios. Affectus proprie non sunt ciendi, sed effundendi in auditores. Huc pertinet accurata animadversio frequentiæ & concursus auditorum, æstimatio ingenii, officii ac fidei. Quoties enim in mentem venit, quid de ingenio nostro vique dicendi alii vel judicent, vel sint judicaturi; quoties cogitamus, quid officii magnitudo requirat, flagitet fides, non quæ dicenda sunt tanquam aliena tractabimus, neque magnopere laborabimus, quomodo hunc vel illum motum imprimere aliis possimus. 2. ut ex rationibus affectum moventibus reservet aliquid epilogo, quod sit eminens & magni momenti, quodque in ipso tractationis corpore ante non sit auditum, ut alacriter & nervosè finiat, ac stimulos in auditorum animis relinquat: nec satietatem, sed plura audiendi desiderium. 3. ut cieat affectus devotos, non carnales, vanos, frigidos, ridiculos: sed totos ad pietatem compositos. 4. ut prius doceat quàm affectus moveat: firma enim & solida notitia parit firmum & solidum affectum. 5. ut in tota quidem concione spargat affectus leniores, vehementiores autem reservet ad finem usque. 6. Ad vehementiores affectus lente & gradatim ascendat, nec diu in illa vehementia auditores detineat

tineat, ne affectus tepescat; sed una cum affectu tractationi colophonem singulari artificio imponat.

§. 26. Affectus sunt vel *boni* vel *mali*: circà utrosque versatur Concionator vel *excitando*, ut sit is affectus, qui non est, esse tamen debebat; vel *extinguendo*, ne sit is affectus, qui est, esse tamen non debebat; vel *gubernando*, ut eo modo sit, quo esse debet; vel *roborando*, ut sit eo gradu quo non est, esse tamen debebat; vel *temperando*, ut non sit eo gradu quo est, esse tamen non debebat. Sæpius enim peccat affectus non re, sed in modo & gradu.

§. 27. Inter affectus prædominantur, *amor & odium*, *spes & metus*, *lætitia & dolor*, *commiseratio & invidia*.

§. 28. Si ad *amorem* alicujus rei vel personæ incitandi sunt auditores, V. G. ad amorem *Dei*, primùm ponuntur argumenta Pathetica (1) *à natura ejus*, quia *Deus*, i. e. omne bonum, in quo quicquid boni desideramus, aut videmus, infinitè ac eminenter reperitur, cujus ipsum esse bonum, omnis boni immensus Oceanus ac pelagus est. Si *sapientiam* amas, quis sapientior Deo, cujus scientia omnia, tàm præterita, quàm futura & præsentia in uno νῦν complectitur? Vide miram orbis & cœlorum sapientissimam structuram, cujus architectus ipse est. In minimis maxima Dei relucet Sapientia. Quis non miratur in culice tot sensuum organa, rostrum porosum, avidam sanguinis, & potissimum humani sitim? Si *bonitatem* amas, quis Deo melior? qui solus sibi sufficit & liberrimâ suâ voluntate bonitatem in omnes creaturas effundit. Aspice teipsum, in teipso, velut in speculo, innumeros bonitatis divinæ thesauros cernes. Ipse bonus est in sua essentia. Bonitas creaturæ eatenus est bona, quatenus participat guttulam pelagi infiniti bonitatis immensæ sui creatoris. Si igitur amas creaturas ob exiguam earum bonitatem pluribus imperfectionibus infectam, cur Deum non amas essentialiter bonum, & purum bonitatis actum? Vis amare quod *pulchrum*, quod decorum; ama Deum, qui in infinitum omnem pulchritudinem excedit, pulchritudinis omnis fons est, & respectu cujus omnia formosa non sunt, nisi unus radius lucis, respectu totius solis. Si omnis omnium creaturarum decor in unum congestus esset, neutiquam tamen adhuc cum divino vel in minimo comparandus esset. Tanta est in Deo pulchritudo, ut solus ejus aspectus angelos & ele-

ctos beatos faciat. (2) *à Beneficiis in nos collatis*, quia *Deus noster* est. Perpende creationis beneficium. Cui putas creatam hanc mundi machinam? non sanè Deo, qui solus sibi sufficit, & in se habitat, & ab æterno eâ caruit. Non angelis; quia cùm sint Spiritus, corporali domicilio non indigent. Multò minus bestiis, quæ nec dignæ tam nobili domo, nec ex plurimis usum habent. Tibi omnia creata, tibi omnia serviunt. Tametsi enim tu non vescaris herbis, vescuntur tamen boves & oves, quorum lacte & carnibus nutriris, quorum pellibus vestiris. Licet tu non edas vermiculos & muscas, edunt tamen volucres, quibus tu aleris. Tibi creaturæ serviunt, aliæ ad nutriendum, tot genera carnium, frugum, vinorum: aliæ ad vestiendum, tot genera pellium: aliæ ad sanandum, tot genera herbarum, radicum: aliæ ad recreandum, tùm visum, flores, aves, sylvæ, campi, Sydera: tùm auditum, avium cantus, hominum voces, instrumenta Musica: Tùm odoratum, Moschus, flores, thus, balsamum: tùm gustum, præter cibos tot condimenta, aromata, Sal, Saccharum, Mel: tùm tactum, sericum, aurum &c. Aliæ ad sublevandum, ut jumenta: aliæ ad castigandum, muscæ, culices, pulices: omnes ferè ad docendum: Ipsi Angeli ad custodiendum. Intuere Palatium mundi tibi à Deo structum. *Laqueare* ejus est cœlum stellatum quasi fornicatum, quàm pulchrum & gratiosum! quàm amplum & firmum! *Pavimentum* ejus undique gramine quasi tapete pulcherrimo instratum est, ut molliter cubes & suaviter recreeris. Pro *lumine diurno* sol est, unum omnibus terræ populis sufficiens, pulcherrimum, efficacissimum, celerrimum, medium cœli sic oblique secans, ut omnibus luceat, omnia vegetet, & sua obliquitate varia anni tempora sibi suaviter & utiliter succedentia efficiat. Pro noctis tristitia temperanda *lucerna* lunæ quasi nocturnum lumen accedit, quod viatoribus præluceat & afflatu suo terras saturet, corpora impleat. Pro *aulæo* suspensas vides in aëre quasi in pariete nubes, lucidas, obscuras: tum ut solis æstum temperent, tùm ut imbres terræ infundant. Pro *lavatorio* pluvias destillat guttatim, quibus corpora refrigeret, fontes & flumina perennet, potum animantibus det, terram riget: quarum loco per hyemem dat nivem sicut *lanam*, quasi carminatam, ne viventia opprimat. *Scopæ* in hoc palatio venti sunt, ut aerem ventilando expurgent, ac salubrem reddant; nubes

bes adducant & abducant; inutilem terræ humorem absumant. Per eosdem navigia impelluntur, & horum beneficio commercia per universum orbem felicissimè progrediuntur. Inter servos *promi condive* sunt tria Elementa, Aer, Aqua, Terra. Aer aves; terra quadrupedia, fruges & vinum; aqua potum & pisces submini strant. Hi promi non omnia simul eodem tempore, sed successivè, nunc hæc nunc alia suppeditant, tùm ut copia nauseam non creet, tùm ut varietas fastidium pellat; tùm ut homines semper aliquid jucundæ recreationis habeant. Interdum hi promi condi fiunt, & victum nobis subtrahunt ad tempus, tùm ut intelligamus, panem à Deo petendum esse ipsumque timendum; tum ne iis ad voluptatem abutamur; tùm ne copia vilescant. *Coquus*, *Calefactor* & lucerna nocturna est ignis, qui, cùm valdè necessarius sit, facilè etiam paratur, ex chalybe & silice, Speculo &c. etiam maximè fœcundus, seipsum multiplicans è minimis scintillis. *Custodes* corporum nostrorum canes sunt: domorum feles, contra mures & sorices; contra muscas araneæ. *Horologium* nostrum gallus gallinaceus est, qui post medium noctis horarum spatia suo cantu prodit. *Operarii* nostri sunt jumenta, quæ nos nostraque opera vehunt, portant. *Sartores* ac *Sutores* nostri sunt ferarum variarum pelles & coria, lana, bombyx, gossipium, linum, cannabis. *Medici & pharmacopolæ* sunt tot herbarum species, thermæ, acidulæ. Confer: Faber. Sed quid ea miraris, quæ sunt extra te? in te habes, quod amorem possit inflammare tuum. Quàm mira, quàm excellens proprii corporis structura! Aspice materiam. Lutum est in quo tanta relucet harmonia, tot sensus, tàm varii, tàm elegantes. Quantò major est materiæ vilitas, tantò magis divinæ artis excellentiam admirare. Perpende nobilitatem. Unus oculus ad hanc demonstrandam sufficiet. Is tantam aeris altitudinem spectat, & exiguæ pupillæ adjutorio tot corpora comprehendit, nec vel laborat vel fatigatur. Considera formam, figuramque corporis tui: prona enim cùm spectent animantia cœtera terram, Os homini sublime dedit cœlumque tueri jussit, & erectos ad Sydera tollere vultus. Ipso ergo naturæ jure sublimis es, inque cœlum libero spectas obtutu, ad cœlestium non tantum considerationem sed & possessionem creatus. De anima nihil addo nisi quod ab ipso Numine inspirata ad imaginem Summi Numinis creata; Ad

quid illa imago? 1. ut hominem omnes creaturæ revererentur velut universi Rectorem, sicut Josephum tota venerabatur Ægyptus, eò quod Pharaonis annulo esset insignitus. 2. ut intelligas, hominem esse peculium Dei. Propterea sigillo imaginis suæ eum communivit, quomodo res charissimæ & peculiariter custodiendæ proprio notantur sigillo, ne à quopiam attrectentur. 3. ut esset, quo cum familiariter ageret Deus, & se quasi recrearet. Simile simili gaudet. Et similitudo est mater amoris. 4. ut homo haberet in seipso, unde in cognitionem creatoris sui facilius devenire posset. In ipso enim velut in speculo imago Dei relucet, & exemplar ipsum, ac Creatorem repræsentat, & longè quidem expressius, quàm omnes creaturæ aliæ; siquidem in illis vestigium tantùm aliquod Dei cernitur, quod ipsum non aliter repræsentat, quàm sicut effectus causam, fumus ignem. 5. ut posset homo divinitatis quodammodo fieri capax, nullumque esset tantum bonum, quod non auderet à Deo petere, imo impetraturum se speraret. Cum enim Deus nihil vacuum in natura reliquerit, nec quicquam frustra fecerit: nobis autem infinitam quodammodo mentis ac voluntatis capacitatem dederit, (quia sicut intellectu nostro cognoscere summum bonum possumus; ita per voluntatem appetimus:) possumus Deo confidenter dicere, Domine imple hoc vacuum. Non potest autem appetitus noster satiari bono finito, quia ipse est infinitus, sicut nec sigilli expressi vacuitates omnes repleri possunt, nisi ab eo sigillo, à quo illud expressum est. Huic Creationis beneficio junge beneficium Conservationis, Protectionis, Gubernationis, Redemtionis, Sanctificationis &c. Adde etiam particularia, quæ tu præ aliis accepisti. Et protenus te amore ignis divini incensum senties, amoremque amori reddes. (ζ) *ab Utilitate amoris divini.* (α) *præservat nos à peccatu.* Amans enim, ne amatum offendat cavet. Et qui Deum amat, à peccatis abstinet prorsus, quia peccata omnia contra Dei amorem sunt. (β) *Crucem nostram levem, suavemque reddit.* Amans enim pati pro dilecto desiderat. Quod multi non pati, sed à passionibus liberari volunt, character est nullius, vel tepidi in Deum amoris. Eleganter Bernhardus. ad verba Sponsæ: Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi &c. *Myrrha*, inquit, *dura & aspera tribulationem significat: eam sibi Sponsa dilecti causâ imminere prospiciens, gratulabunda id loqui-*

Sermone 43 in Cantico

loquitur, confidens, se omnia viriliter subituram, & propterea non fascem, sed fasciculum dilectum dicit, quod leve pro amore ipsius ducat, quicquid laboris immineat & doloris. Non hæc ideo Sponsa dicit, quia tale onus leve sit: neque enim levis passionum asperitas. Sed tandem levis amanti, & ideò non ait tantùm, dilectus, *sed addit*, mihi, *mihi inquit, quæ diligo. Unde &* dilectum *hic nominat, quem antea* Regem *nominaverat, monstrans, dilectionis vim omnium amaritudinum superare molestiam.* Quid pro Deo non ferat, qui verè Deum amat? cum pro mundo, qui mundum amat nihil non æquo ferat animo. Omnia vincit amor. *Fortis est ut mors dilectio*, inquit Sponsa *Cant. 8. 6.* imo vero fortior: nonne in martyribus mors amori cedit? moriuntur illi, quia amant, & qui vitam illis adimere potuerunt è corpore, amorem ex anima aufferre non valuerunt. (γ) *Reddit nos Deo conformes.* Amor enim consistit in unione. Unio infert assimilationem. Amicos conciliat morum similitudo. (δ) *docet mundum contemnere.* Nam qui Deo unitus vivit per amorem, mundo mortuus est, hinc nec mundi sentit aculeos. Cui Deus est omnia, ei mundus est nihil. Amicorum Dei hoc est Symbolum: *Nescio quid sentiam. Sed scio & sentio quòd nihil aliud possim amare, quàm Deum in hac misera vita.* (4) *à Jucunditate.* (a) *respectu Dei.* Vult enim Deus à nobis amari, quia nos amat, & ideo amat ut ametur. Hinc non opera sed corda metitur, non effectum sed affectum æstimat, quia amari desiderat. Imò ut familiarius diligeretur ab homine, in similitudine hominis apparuit, cum natura nostra nostrum sibi concilians amorem. Quis tàm durus, quem non emolliat amor Dei sic hominem præveniens? ejusmodi amoris characteribus non tàm à te amor requiritur, quàm tibi extorquetur. (b) *Respectu nostri.* Nullus amor sine gustu. Quoties in Deum singulari affectu ferimur, toties ejus dulcedinis quendam in nobis saporem percipimus. Et ideo vult Deus amari, ut ardentissimi sui amoris notas in nos exprimat. (5) *ab æquitate naturali*: Non potes vivere sine amore; cum igitur debeas amare, ama quod est maximè amabile. Nobilissimus inter omnes affectus amor est: In nobilissimum ergo ut tendat objectum, maximè æquum est. Cujus sunt fructus, nisi illius, qui arborem plantavit? *Quis plantat vineam & de fructu ejus non edit* 1. Cor. 15.? Diligendus igitur is, qui vires diligendi largitur. Si amor tuus tibi est venalis, tribuendus

utique ei, qui carissimum retribuit pretium, sanguinem unigeniti sui. Si gratis vis largiri amorem tuum, nemo isthoc dono dignior est, quam qui omnia gratis largitur, Deus &c.

Argumentis hisce interseruntur Figuræ: *Interrogat*: Was kanst du ô Mensche lieben/ dz nicht in deinem Gott unendlich wäre? wilt du lieben was schön ist/ so ist Er die selbstselbste Schönheit/ und der ursprung aller Creatürlichen Schönheit. Wilt du lieben was gut ist? so ist Er das höheste Gut; aus diesem Meer fliessen die Tröpfflein/ die du in den Creaturen findest. Wilt du deine Liebe umbsonst geben/ wer ist würdiger sie zu nehmen als GOTT/ der die Liebe selbst ist? Wilt du deine Liebe verkauffen/ wer hat sie theurer bezahlt als GOtt mit seinem Blute? *Exclamatio*. ô der theuren Liebe/ die GOTT zu uns Menschen trägt! Wie theur ist deine Güte ô GOTT/ aber wie Steiuern ist die Welt/ die es nicht empfindet! *Apostrophe*. Ach HErr wir sind zu geringe aller deiner Barmhertzigkeit! *Prosopopœia* Alle Creaturen empfinden bey ihnen die Güte ihres Schöpffers/ sie erkennen dieselbe eine jedwede nach ihrer Arth/ sie erheben und preisen sie/ der Himmel mit seinem Lauffe/ die Sonne mit ihrem Glantze/ das Erdreich mit seinen Früchten/ die die Vögel mit ihrem Gesange/ die Blumen mit ihren Farben. *Anaphora*. Allein allein der Mensch empfindets nicht/ das ist zu betrauren. *Obsecratio cum Charientismo*. Meine Hertzen/ seyd doch nicht wie Roß und Mäuler/ vel. Ich bitte euch durch die Liebe JESU/ Last euch von diesem Fewer anzünden.

§. 29. Si ad *odium* alicujus rei vel personæ movendi Auctores. V. G. *Diaboli*; primùm argumenta ponuntur, ducta (1) *à vilitate ejus*, quod nihil sit in ipso amore dignum. (2) *ab odio ejus in nos*: Est enim nobis infensissimus. Quod odium proficiscitur partim ex odio in Deum, ejus majestatem cùm non possit lædere, totam furoris sui rabiem adversus imaginem ejus convertit; partim ex invidia, quia videt nos promoveri ad eas sedes, quas ipse casu suo vacuas reliquit. Hinc illa nocendi sitis, de qua Petrus 1. Epist. 5. 8. *circuit, quærens quem devoret*. Non otiatur, sed *quærit*, omnem movens lapidem, omni occasioni studiosissimè invigilans. *Quærit quem devoret*. Expende verbum *devoret*. Quod comeditur, non semper totum manducatur, sed aliqua pars rejicitur, ut in carnibus ossa, in piscibus spinæ, fructibus peripsemata: quod autem devoratur, totum

tum absumitur quantum est. (3) *ab astutia & fraudibus*, quibus nos circumvenit, ut æternùm perdat. Huc accommodari potest, id quod ad Serpentem nequitiæ Diabolicæ primum organum dicitur Gen. 3, 14. *Super pectus tuum gradieris.* Adhæc verba Hieronymus *In Quæst. Hebr.* *Ut calliditatem & versutiam cogitationum aperiret, quod omnes gressus ejus nequitiæ ac fraudes essent.* Quia scil pectus est organum, ubi hujusmodi machinationes formantur, & serpens dum ambulat, non rectâ graditur viâ, sed nunc in hanc nunc in adversam flectitur partem: tales sunt Dæmonis adinventiones, per flexiones in flexiones procedit, & dum credis versus Orientem eum pergere, versus Occidentem reflectit se callide. Huc refer altitudines Apocalypticas c. 2. v. 24. Primùm aliâ ratione improbos tentat, aliâ pios. *Impios*, quos nisi per veram pœnitentiam sibi aufferri posse intelligit, modis omnibus à pœnitentiæ proposito deducere conatur. *Vel* enim mentem eorum excœcat, ut aut turpitudinem vitæ suæ non cernant; aut certè aliorum comparatione, qui graviora commiserunt, innocentem esse credant (Nihil enim adeo fœdum, quod fœdioris rei comparatione pulchrum videri non possit.) *Vel*, si hâc viâ irritus est conatus, fallaci promissione longiora ipsis vitæ spatia pollicetur, ut in aliud tempus pœnitentiam differant. *Vel*, si nec spe longioris vitæ fallere, potest, operam dat, ut eos divinæ misericordiæ fiduciâ decipiat, diuque in malis detineat: ad quod pii latronis in cruce pœnitentis exemplum semper in ore habet, & unius latronis singularem felicitatem, innumerabilium hominum facit esse ruinam. Nec *pios* nisi per cuniculos aggreditur. (α) Occasionem tentandi ex ipsis, ex eorum vel propensionibus, vel necessitatibus sumit. Novit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ; novit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat. Omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi causas quærit nocendi ubicunq; viderit studiosius occupari; Quemadmodum aucupes variis vescis utuntur, pro varia avium natura, quas illaqueare cupiunt; ità Dæmon diversis malorum irritamentis ad illaqueandas animas, pro variis hominum ingeniis, uti solet. (β) Quia bonum quodvis ἐν μεσότητι consistit, medium verò tenere difficile est; ideò pios, virtutis amore satis per se incitatos,

acrius

acrius urget, ut mediocritatis lineâ desertâ, in extrem ruant. Hoc modo eos qui acerbissimo dolore scelera lugent, ad acriorem stimulat dolorem, ut vel abundantiori tristitiâ absorbeantur, vel veniæ consequendæ desperatione frangentur. Sic eos, quos in virtutum studio ferventiores videt, ad singularem quandam vitam à communi dissidentem incitat, ut illos in φιλαυτίας barathrum, aliorumque contemtum insolito hoc vivendi genere dejiciat. Ità devotos in summum devotionis saporosæ verticem sæpè adscendere sinit, iisque magnam lacrymarum vim excutit, partim ut mentem ad contemtum eorum, qui simili dulcedine non perfruuntur, inducat; partim ut cerebrum nimiâ exercitatione lædat, quo deinde ad hæc ipsa studia ineptiores sint ac impotentiores. (γ) sæpe sese mortuum simulat, vel amicum: hâc ipsâ tamen pace bellum mover, & tentationibus sublatis acriùs tentat, dùm hominem longo otio torpentem & securum improvisus adoritur, inermem sauciat, bellandi inexpertum acrius ferit. Ex hoc fonte non saltem manat securitas, sed & contemtus eorum, quos assiduis videmus quati tentationibus; ex contemtu immisericordia. (δ) Eos, quos videt rerum suarum fastidio laborantes, mutationumque avidos, ad status sui odium inducit, & ad alium, qui iis contingere non potest continuis desideriis sollicitat, & quicquid molesti illis accidit, non illis, non malitiæ temporum, sed statui conditionive ipsorum adscribit, quo desiderium acuat, curasve augeat. (ε) Cum à bonorum operum studio piorum mentes avocare non potest, ipsius operis intentionem, à quâ potissimùm ejus integritas pendet, φιλαυτίᾳ corrumpere nititur. Aliquando pios in ipso actionis fine illaqueat, eò vehementiùs, quo securior jam videbatur operans (ζ) si nec hoc assequi potest, dat operam, ut de superatâ inani gloria inaniter pius glorietur. Hoc inimici telum nocentissimum est: nocentiora sunt tela Dæmonis fugientis, quàm aperto Marte aggredientis. Dùm enim victus fugit, ad gloriandum de victoria victorem ipsum inducit, & hoc ipso victorem coronâ sua exsuit. (η) Præcipuè molitur, ut lectionis, meditationis & orationis studium vel plane impediat, vel saltem interrumpat, ne homo gratiæ cælestis auxilium & lucem internam percipere possit, atque sic militem armis destitutum facilius superet. (θ) Tentationes sæpe Tentationibus cumulat, ut homini & vires & animum frangat.

Super-

Superbia illi præbet audaciam; odium vero in nos ejus acuit sævitiam; tot autem annorum experientia de victoria ipsum desperare non sinit. (ι) Sæpe vitia virtutis specie adumbrata, suggerit: avaritiam parsimoniæ, Iram immoderatam pii justique zeli, profusionem liberalitatis nomine commendat: Ita pillulæ Saccharo illitæ dulciores redduntur. Ita sub herba anguis latens occultatur. (κ) Plerumque Neo-Christianos aggreditur, quia hi in pristino habitu adhuc hærentes facilè quâvis occasione & quovis motu ad adsueta trahuntur. Primordia boni pulsat, virtutum rudimenta tentat, sancta in ipso ortu festinat exstinguere, sciens quod ea fundata non sine difficultate subvertantur. Lucerna recens exstincta, & adhuc exstinctæ lucis fumum retinens, levi flatu accenditur. Sic ubi prioris vitæ consuetudo adhuc in anima calet, si tentationis alicujus vehementior aura spiraverit, si aut oculi incautius videant, aut veteres amici ad adsveta vocent, aut splendidius aliquid & voluptuosius sese sensibus offerat, facilè, quod vix bene desierat, instauratur. (λ) Initiò sæpè minora suadet petitve, quæ vix speciem mali habent, deinde adgraviora impellit. Davidis homicidium ex otio & vanitate ortum traxit. (μ) Peccatum, mundum &c. ostendit à fronte, ubi jucundus & aspectu formosus; Sed tergum occultat, ubi pericula, labores, curæ, vermis conscientiæ, gehenna secutura. Ostendit peccati escam, sed non latentem hamum: Et quis omnes illius mille-artificis technas recensere valeat? (4) à Contumeliâ, quâ nos afficit, non solum in primis parentibus, quos imagine divinâ privavit, Paradiso expulit: sed etiam quotidie, dum omne malum corporis & animæ cum voluptate promovet. (5) ab ejus arrogantia, quod non solùm nos seducit, sed plane dominium in hominem, creaturam Dei nobilissimam sibi vendicat. (6) à connexo, quod omnes ei servientes manent sub ira Dei & morte æterna &c. Hic ex Figuris potissimum locum habent, *Interrogatio.* Was kan doch erdacht werden / das so abscheulich sey als der Teuffel? Kein Wurm ist so unwerth keine Krôte so greulich / als der Teuffel. *Compellatio.* Richtet ihr selbst / meine Lieben / was für ein Greuel ans Liecht kommen würde / wenn alle eure sündliche Begierde und Gedancken solten offenbahr werden / die doch ein Gezücht des Teuffels sind *Exclamatio.* ô der blinden Welt / die dem Teuffel ihrem abgesagten Feinde / dienet! *Optatio.* Ach daß Sie erken-

nen möchte / was dieser Geist böses im Sinn hat! *Apostrophe*, Aber du HErr erleuchte die Augen der Blinden / daß sie nicht im Tode entschlaffen; *Admiratio* itidem, *Prosopopœia* & *Sermocinatio* hic commodè adhiberi possunt.

§. 30. Si ad *misericordiam* seu commiserationem incitandi auditores, argumenta primum afferanda sunt, desumta (1) *ab excellentia misericordiæ*; misereri enim est res regia ac divina. Cicero: *Nulla de virtutibus plurimis admirabilior nec gratior misericordiâ homines enim ad Deos nullâ re propius accedunt, quàm salutem hominibus dando.* Et Gregorius Nazianzenus; *Fias infortunato Deus, misericordiam Dei imitando. Nihil enim adeò divinum habet homo, quàm benefacere.* (2) *ab æquitate.* Per misericordiam reddis jus proximo, tibi, Deo. *Proximo*, quia homo homini debet humanitatem. Si natura fert, ut lupus lupo; æquum est, ut homo homini compatiatur. *Tibi*, quia consanguineum tuum & fratrem adjuvas: Quis dubitat fratrem fratri adminiculum in necessitatibus debere? DEO, quia reddis ei quæ ipsius sunt, in imagine, in filio ejus & membris Christi. Cur indignaris, ô dives, petenti pauperi, tanquam de tuo expendas? bona paterna petit, non tua: quæ tibi commissa sunt ipsius gratiâ non tecum nata. Lacrymas suas, suspiria sua flagitat, quibus permotus Deus tot tibi opes contulit. (3) *à magnitudine miseriæ, quâ proximus affligitur.* Ita Chrysologus *Obsurdatis auribus divitis, nihil esset vox unius clamantis. Deus g. ad aperiendum cor ejus, totum corpus Lazari ulceribus cooperuit, ut tot essent ora clamantis, quot ulcera existentia.* (4) *à necessitate & indigentia auxilii*; (5) *â descriptione personæ*, quoad qualitatem & merita; (6) *ab exemplo Dei*, qui ideo nobis misericordiam exhibet, ut aliorum misereamur. Leo *Misericordem te vult misericordia, ut in creatura sua Creator appareat, & in speculo cordis humani per lineas imitationis expressa DEI imago resplendeat.* (7) *ab exemplo Sanctorum* (8) *à spe remunerationis divinæ.* Huc faciunt loca Prov. 19. 17. *Mutuat Jehovæ, qui largitur pauperi; & retributionem reddet ei.* Singula emphatica. Non dicit; *donat*, sed, *mutuat.* Appositè Chrysostomus, (vel ut alii volunt, Basilius) *Cur*, inquit, *non dixit. qui miseretur pauperis, dat Deo, novit scriptura avaritiam nostram, intellexit appetitum nostrum insatiabilem, qui sibi majora ad habendum proponit, redundantiam, ac plus*

pro Ligario:

Orat. de cura pauper.

in Serm. de divit. & Lazaro.

Serm. in Fest. omn. Sanct.

in Prov. 38.

plus semper quærere; ob eamq; causam non dixit omnino, qui miseretur, dat Deo: *ut ne simplicem largitionem & retributionem sortis existimes; sed fœneratur Deo, ut avarus & lucri cupidus, audito* usurarum *nomine, se ipsum misericordiæ dederet*: Non dicit, *mutuat homini*, Principi, Imperatori; sed *Jehovæ*. Proh! quanti est, sibi obligare Deum, eumque suâ fidejussione quasi vadimonio sibi obstrictum detinere! Hoc est, quod mendici nostri stipe acceptâ precantur, GOtt bezahle es! GOtt belohne es! Et Seneca notat, quod & Mendici gentilium, qui in pontibus assidere solebant, iis, à quibus eleemosynam acceperant, Deos propitios precati fuerint. *lib. 4. de Benefic. c. 11.* Quàm ponderosissimè vero addit: *Et retributionem &c.* Vis phraseos infert restitutionem & certissimam & uberrimam. Reddit Deus *& interrat*, ordinans, ut misericordes, quo magis erogant, eò magis abundent. Je reicher Ausfluß! Je reicher Zufluß. *Et in cœlo*, opera misericordiæ ex gratia coronans, idque ditissimè, pro nummo dans regnum, pro mica massam, pro dono Deum, h. e. seipsum. Nervosè Augustinus *Vide quàm late crescat fœnus tuum. Da modica & accipe magna. Da temporalia & accipe æterna. Da terram, accipe cœlum.* *in Ps. 36.* Conf. *Matth. 5, 7.* E. dum misereris afflicti, tibi consulis, in alieno remedio tua vulnera curas. Quare Clemens Alexandrinus eleemosynam comparat *ludo pilæ*, in quo pila projecta per reverberationem redit ad eum à quo projecta erat. *lib. 1. Pædag.* Intercessores multos habes apud Deum, qui multorum misereris: nullus autem vel minimus sancti gemitus frustraneus. Ah quid in lapides tua effundis, qui cum seculo hoc transituri sunt? seris, spe messis incertâ. Cur non potius in vivos impendis lapides, de quibus in Apocalypsi civitatis magni Regis exstruitur, & qui olim in Sapphiros, Smaragdos, Jaspides vertendi erunt? ô vanitas, vanitatum omnium vanissima! fulget Ecclesia in parietibus, & eget in pauperibus: suos lapides auro induit, & suos filios nudos deserit. (8) *pœnarum metu*, quas Deus immisericordibus minatus est. Huc spectat Pro. 21. v. 13. *Qui claudit aurem suam ad clamorem pauperis, etiam ipse clamabit, & non exaudietur.* Duo hic minatur Spiritus S immisericordi, (1) *clamorem*, h. e. infortunium ingens inopinato immissum. (2) *clamoris frustrationem*. clamabit & non exaudietur. Exemplum est in divite epulone,

Serm. 237. Ep. 125. ne, de quo Augustinus de tempore: *ô dives, quâ fronte petù guttam, qui noluisti porrigere micam?* Et Chrysostomus: *Quoniam micas pauperi minimè largitus est, ipse ne guttam quidem aquæ accepit, hyemis tempore sementem hautquaquam fecit, proinde nec in æstate messem fecit.* Communiter hîc adhibentur, *Interrogatio.* Wie mag doch ein Mensch ein solch steinern Hertz haben / daß er sich nicht über solch Elend erbarmen solte? *Obsecratio.* Ich bitte euch durch die Barmhertzigkeit Gottes / lasst euch doch erweichen. *Prosopopœia.* Es möchte ja einen Stein jammern / der kein gefühl hat / oder ein unvernünfftiges Thier / wie dort die Hunde mit dem Lazaro ein Mitleiden trugen / da sich der reiche Mañ nicht erbarmen wolte. *Dialogismus.* Die Elenden stehen da gleichsam für euren Augen / mit seufftzenden Hertzen / mit weinenden Augen / mit betrübtem Angesichte / mit klagendem Munde / Sie ruffen euch zu: Erbarmet euch doch lieben Brüder / denn die Hand des HErren hat uns gerühret additâ *Comminatione.* Nu GOtt wird aus ihren Seufftzern Ruthen machen / aus ihren Thränen eine Lauge / und euch unbarmhertzige damit zwagen / das Haut und Haar nachgehet. *Compellatio* cum *Charientismo.* Ach bedencket lieben Brüder / was ihr wünschen würdet / wann ihr an ihrer Statt stehen soltet. etc.

§. 30. Si ad *dolorem* V.G. *super admisso peccato* impellendi auditores; argumentis primò agendum est desumtis (1) *à turpitudine peccati*: quæ turpitudo ex ipsa ejus natura dignoscitur, quippe nil aliud est, quàm privatio rectitudinis inesse debitæ, cum insigni omnium virium ἀταξία juncta. Quare sicut cœcitas, & similes corporis defectus hominem deturpant; ita peccatũ actiones humanas. Hinc tenebras amant, qui peccato, student, nefædi appareant sicut elephas bibiturus turbat aquã limpidam, ne videat in ea gibbum suũ, sicut mulier deformis horret speculũ, & noctua lucem fugit. Hinc tot vela, tot pallia peccato quæruntur: hinc postquam admissum est tanto studio occultatur, negatur, tacetur, aut saltem cum pudore revelatur. Hanc peccati turpitudinem Scriptura imprimis gemina similitudine declarat. *Primo* quidem, quando peccatum comparat *lepræ*. Lepra inter omnes corporis morbos maximus & gravissimus est. Peccatum omnium malorum summum, quia DEO ut summo bono contrarium est; sicut in DEO ut summo bono eminenter rerum omnium perfectiones continentur; sic peccato omnium malorum semina in-

existunt

existunt. Lepra inter morbos omnes maximè deformis; peccatum animam, divinæ pulchritudinis speculum, in horrendum Diaboli simulacrum transformavit. Lepra morbus inter omnes maximè est contagiosus; ideò leprosi debebant separari extra castra, & os veste aut panno tegere, ne halitu pestilenti ac fœtido alios inficerent. Peccati lues ex uno Adamo omnes mortales infecit. Peccatum *fermenti* instar est, cujus vel modica portio ingenti farinæ moli immixta, totam consperſionem vitiat. Facilius ab uno pestilenti ingens innocentium multitudo pervertitur, quàm à mille innocentibus unus pestilens ab instituto pietatis cursu revocetur. Lepra morborum omnium fœdissimus est. Cùm enim interior corporis pars corrupta sit, quid ex corrupto fonte nisi fœtor & horror manare poterit? Peccatum internum hominem totum corrumpit. Hinc sequitur externus; quale cor, talia dicta factaque. Ex cordis thesauro profers, quicquid profers: Hinc tot verborum lascivorum apud impios myriades; tot gestus impuri, tot facta turpia. Lepræ morbus, si diu in corpore hæret, hominem penè in truncum inutilem vertit, assiduitate peccandi torpet peccator, & omnem penè sensum spiritualem amittit. *Secundò*, quando peccatum confert cum *morte*. Vivit anima vitam spiritualem per fidem, quâ cum Deo unitur; quamprimum in Deum lethaliter peccat, Deus ab anima recedit, atque sic anima à DEO, ceu vitæ suæ principio, deserta spiritualiter mortua est. Quid truncus exanimis, nisi cadaver? Quid autem cadaver, nisi Speculum turpitudinis ex peccato contractæ? Corpus mortuum est insensibile; peccator nec sentit peccatorum suorum vulnera, imo lætatur in malefactis suis; nec verbera sentit divina, quibus Deus pœnitentiam extorquere conatur; nec beneficia, quibus veluti aureis trahitur catenis; nec fratrum miserias. (2) *à magnitudine iræ divinæ adversus peccata*: Odit Deus peccatum, & summè odit. Hinc ut peccatum enecet, seipsum neci tradit. En quantum odium! Qui naturali & summo amore vitam suam, *h. e.* seipsum (nam vita Dei & Deus ipse realiter Αὐτὸ ζωὴ) diligit, in odium peccati usque adeo exardet, ut vitam suam mortiobjiciat, quo peccato vitam eripiat. Ex quo intelligi datur, illum majori quodammodò odio adversus peccata, quàm amore erga vitam suam exarsisse, quando vitam citiùs amittere,

quàm peccatum vivere maluit. Tanto odio Deus peccatum detestatur, ut pulcherrimum Angelum à se ipso conditum, & mirandis gratiarum donis exornatum, ob unius delicti noxam ex splendidissimo cœli palatio in teterrimum tartarum perpetuò crùciandum detruserit. Idem ob unum inobedientiæ crimen Protoplastum totamque ejus posteritatem ex Paradisi deliciis expulsam, sempiternâ morte exiliove mulctavit. Orbem universum propter peccata horrenda diluvio delevit. Jam verò tot morbi, fames, incendia, bella, exsilia, ruinæ & mille malorum ac calamitatum formæ, quæ genus humanum à mundi exordio ad hæc usque tempora miserrimè torquent & exagitant, ex unico peccati fonte promanant. Denique ea peccati malitia est, ut expiari non potuerit nisi ipse rerum omnium conditor (cujus infinita virtus est) è cœlo descendens, illud per se delendum atque expiandum susceperit. (3) *à personæ, quæ peccavit, conditione & statu.* *Homo* est qui peccavit: peccatum autem est contrà hominis naturam. Si quæras à Philosophis, quæ sit hominis natura? respondebunt, hominem esse animal rationale. Si igitur rationalis creatura homo est, quid magis secundum ejus naturam est, quàm secundùm rationis legem vivere? Peccatum autem non modo divinis legibus, sed rationis etiam lumini adversatur. Vivunt peccatores non ut homines, secundùm rationis ductum & consilium, sed veluti bestiæ cœco naturæ suæ corruptæ impulsu atque appetitu ducuntur. Quicquid ab eis concupiscentia carnis exigit, ei protenus annuunt, & sic in omnia flagitia præcipites ruunt, ut qui se totos, tanquam vilissima quædam mancipia, immiti huic & turpissimo Domino subdiderunt. Sana ratio docet: anima præstat corpore & rebus corporeis; Avaritia contrarium: Præstat aurum animâ. Venalem habeo animam pro auri vel exiguo lucro. *Dei filius* est, qui peccavit. Iniquum est ut filius amet, quod pater odit; ut filius sectetur, quod pater detestatur. *Christianus est*, qui peccavit, Christi sanguine pretioso redemtus. Quomodo igitur osculabitur, quod Christum necavit, peccatum? quomodo contaminabit, quam Christus purgavit animam? Christiani nomine indignus est, qui anti-Christianè vivit. *Pastor* est, *Princeps* est, qui peccavit. Væ illi & iterum væ, quia suo exemplo gregem peccare fecit. Quot animæ ad peccandum scandalo irritatæ, tot flammæ, tot vermes infernа-

ternales &c. (4) *à magnitudine pœnæ, temporalis & æternæ, Spiritualis & corporalis.* Per peccatum Dei gratia & amicitia amittitur. Per peccatum è regno Cœli excludimur. Ob peccata ad æterna gehennæ supplicia damnamur. Per peccatum in potestatem Diaboli tradimur. Per peccatum mentis ac voluntatis nostræ vires sauciantur ac vulnerantur. Ob peccatum deserimur à Deo: hinc *excœcatio*, hinc *induratio*. Per *excœcationem* mens humana tenebris circumfunditur, ne errorem & periculum suum videat: per *indurationem* ità voluntas obfirmatur in scelere, ut nullâ ratione ab eo revocari velit. Peccata etiam leviora spiritualibus delitiis impedimento sunt. Si enim terrenæ voluptates, quæ interdum sine singulari peccato esse possunt, has divini Spiritus consolationes impediunt; quid peccata facient, quæ non modo mentem detrahunt, & ad ima deprimunt, sed & inquinant, & vel charitatem, vel charitatis fervorem extinguunt? (5) *à conditione objectorum per peccata offensorum.* (α) *in Deum*, tùm *Creatorem* tuum: ipse te ex nihilo creavit, & tu eum pro nihilo offendisti; ipse te ad imaginem suam fecit, & tu per peccatum Dæmonis similitudinem induisti; Ipse tibi omnes animæ & corporis vires largitus est, & tu iisdem quasi armis contra ipsum pugnasti &c. Tùm *Redemtorem* tuum: Omnem ejus passionem & ipsam mortem in teipso destruxisti; omnia ejus vulnera renovasti; tuâ intemperantiâ ipsi fel & acetum iterum propinasti; tuâ superbiâ ejusdem caput iterum spinis pupugisti &c. (β) *teipsum*: Tu ex filio Dei & cœli hærede feciſti teipsum filium Diaboli & reum inferni; gratiam cœlestem perdidisti; omnia tua bona opera uno ictu contrivisti &c. (γ) *in proximum.* Hunc bonis fortunæ emunxisti; istius famam arrosisti; illi in corpore nocuisti; alium exemplo vel Doctrinâ tuâ perdisti; matrem Ecclesiam contristasti; pios fratres afflixisti; Angelos pacis ad planctum provocasti; creaturis, quibus abusus es, gemitus extorsisti &c & quæ alia adduci possunt argumenta: Argumenta Figuris sunt nectenda Nexui inserviunt *Compellatio.* Gehet in euch lieben Christen / und bedencket / ob etwas abscheulichers möge erdacht werden / als die Sünde. *Interrogatio.* Solte die Sünde nicht scheußlich seyn / die des allerscheußlichsten Geistes / des Teufels / Bilde ist / und uns für GOtt zum Stanck und Greuel machet? *Admiratio.* Wie

eine

eine schöne reine edele Creatur ist der Mensch / GOTT hat ihn nach sich gebildet ! *Sustentatio.* GOTT hat ihn mit dem Blute seines Sohnes in der Tauffe gewaschen: GOtt hat ihn durch seinen Geist geheiliget. *Anaphora.* Aber die Seele / die Seele/die nach GOtt gebildet / durch das Blut JEsu gereiniget / und mit dem allerheiligsten Geiste HOttes gezieret ist / wird durch die Sünde in des Teufels Cloack und Schandgrube verwandelt. *Prosopopœia.* Da alle andere Creaturen in ihrem Wesen bestanden/ wie sie GOtt erschaffen/ fällt allein der Mensche ab / zeucht des Teuffels Larve an / und schändet das Wort/daß ihn hat erschaffen/ das Blut das ihn hat gewaschen; den Geist / der ihn hat geheiliget. *Exclamatio.* ô weh das boßhafftigen Saamens ! *Compellatio.* Was gewinnet ihr dann ihr Sünder? Wie der Saame ist / so ist auch die Frucht: gesetzet ihr habt auff Erden gülldene süsse Tage/ so häuffet ihr euch doch den Zorn am Tage des Gerichtes. *Interrogatio.* Wer wil denn gnädig seyn/ wenn der HErr zürnet? und wer wil den loßsprechen / wen Er verdammet? ô weh des erschrecklichen Tages / da werdet ihr erndten was ihr gesäet habet/ Schand und Pein mit allen Teuffeln in der Höllen. Innerlich wird euch der nagende Wurm / äusserlich das brennende Feur ängsten. *Anaphora.* Feuer wird durch Leib und Seel: Feuer wird durch Marck und Bein dringen. ô der unaußsäglichen Pein / ô der unerträglichen Pein / ô der unerträglichen Schmertzen ! *Dialogismus.* Da stehet der rechte Mann und schreyet euch zu: Hütet euch ihr Menschen Kinder/ daß ihr auch nicht kommet an den Orth dieser Quaal / denn ich leide Pein in dieser Flammen. *Optatio.* ô daß ihr weise wäret und dieß zu Hertzen nehmet. *Apostrophe.* Ach HERR erleuchte doch die blinde Welt !

§. 31. Ad *pudorem & verecundiam* si movendi auditores, *V. G.* super *ebrietatem*, argumenta deducenda sunt (1) *à turpitudine vitii, seu facti per vitium commissi*, quæ ostendi potest per circumstantias: Turpissimum inter omnia vitium est Ebrietas, quia hominem in bestiam transformat. Quæ autem gloria est hominem exuere & bestiam induere? Quis etiam maximis promissis persuadeat honesto viro, ut vel ad duas tresve horas bestiæ formam assumat, & coràm aliis hominibus honestis instar bestiæ insaniat? Turpitudinem hanc etiam Ethnici agnoverunt. Hinc Lacedæmones proposuerunt filiis

liis suis temulentos servos, ut eorum fœdo spectaculo correcti à vinolentia abstinerent, referente Plutarch. (2) *à damno* quod infert animæ, corpori, famæ, bonis fortunæ, quæ absumit. (3) *ab injucundo*, Nihil eâ molestius, nihil turbulentius, *tùm* quia potus superfluus cito nauseam parit; *tùm* quia crapula primo quidem sensus sopit, postea verò caput contundit, denique vomitum maximo cum dolore provocat; *tùm* quia morbos affert varios & sæpe vitæ filum immaturè abrumpit. (4) *ab ejus manifestatione* coràm Deo, Angelis, Ecclesia & toto mundo: (5) *à despectu* & opprobrio inde orto. Est enim verecundia dolor ex infamiæ opinione ortus. Argumenta per Figuras ita necti possunt, Die Völlerey ist ein solcher Greuel / welchen auch je die Heyden für lästerlich gehalten. Ein vernünfftiger Heyde straffets / daß sich der Mensche in der Trunckenheit seiner Vernunfft und Sinnen beraubet. Was ist es das den Menschen vom Viehe scheidet / als die Vernunfft? In der Völlerey aber weis der Mensche von keiner Vernunfft. *Prosopopœia* Mancher ist in der Trunckenheit ein grimmiger Löwe / der allzeit umb sich schlägt: Mancher ein beißiger Hund / der immer hadert: Mancher ein kurtzweiliger Affe in allerley Narrentheidung: Mancher ein Kalb mit hüpffen und springen: Mancher wird gar zur Sawen / die sich in ihrem eigenem Koth und Unflath wältzet / welcher Heyde kan solches loben wann ers sihet? Die Vernunfft in den Heyden hält es für sträfflich / wann jemand wieder seine eigene Natur wütet. Schlüge man einen Ochsen biß auff den Todt / er würde nicht mehr trincken als seine Natur erfodert: Aber unter den Menschen findet man solche Heyden / die da sauffen bis sie speyen. Auch dieß mag ein vernünfftiger Heyde nicht für gut halten / daß man der Gaben GOttes in der Völlerey so schändlich mißbrauchet. Ein frommer Ehrbahrer Heyde entsetzet sich darüber / wann man nur ein bißlein Brots mit Füssen tritt / und hebets auff. Die Schwälger aber schütten die Gabe GOttes über Tische und Bäncke. Ach! dencket / wie mancher armer Mensche könte mit dem Trüncklein sein Hertze laben / daß der Schwälger verschüttet. *Prosopopœia*, Darüber muß ja die Creatur seufftzen.

§. 32. *Timor Dei* & metus pænarum excitatur (1) *à certitudine perseverantiæ finalis absolutâ nobis negatâ.* 1. Cor. 10. 12. Phil. 2. 12. Non quæruntur in Christianis initia, sed fines. Paulus malè cœpit, sed

de Instit. Lucon.

benè finivit. Judæ laudantur Exordia, sed finis proditione damnatur. Timendum ergo. Navigantes semper in metu sunt, quamdiu sunt in mari, etiam tum, quando vento propitio feruntur: quanto magis timemus nos, qui dum vivimus, de salute æterna periclitamus? Quò virtuosior quis est, eo magis habet quod timeat. *Anchora cordis*, inquit Gregorius, *est pondus timoris, & sicut majori ditioribus navibus anchorâ opus est; ita, quò justior homo, majore timore eget.* (2) *à periculo* in quo vivimus, scandalis, laqueis undique tensis, quos inter ambulare & non capi difficillimum est. Luctamur assiduè cum avaritiâ, impudicitiâ, irâ, cum carnalibus vitiis, cum illecebris mundanis. Obsessa mens hominis, & undique Diaboli laqueis vallata, vix cavet singulos, vix singulos cernit. Si avaritia prostrata est, exsurgit libido: libidine compressâ, succedit ambitio: ambitione fugatâ, ira casum minatur, inflat superbia, invitat vinolentia. Tot laquei, tot foveæ, tot prærupta, tot rerum difficultates interjacent inter nos & finem nostrum, ut vel in ipso viæ termino casum, quem in medio spatio timebamus, incurrere possimus. (3) *à Dei* omnia inspectantis & observantis *præsentiâ*. Videt is omnia, audit omnia, etiam quæ in intimo latent cordium recessu. *Omnia*, inquit Spiritus Hebr. 4. *Sunt πετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ*, quasi *excoriata* vel *exenterata*, q. d. sicut in ovibus dissectis & excoriatis ipsa intestina patescunt; sic corda nostra Christo. Si tibi semper ad latus tuum princeps adstaret, nonne cum tremore ageres, quæcunque agis? adstat Deus, time. (4) *à Dei* omnia judicantis *potentia, sapientia, justitia*. Quis resistet potentissimo? Quis eludet sapientissimum? Quis pervertet Justissimum? Ipse nemini parcit. Verere. Væ etiam laudabili hominum vitæ, si remotâ misericordiâ discutienda foret. (5) *ab incerta vitæ & conversionis nostræ conditione*. Incerta conversionis gratia, tot modis, tanto tempore spreta: incerta mortis hora. *Ego*, scribit de se Hieronymus, *diebus ac noctibus operior cum tremore reddere novissimum quadrantem, quod mihi dicatur: Hieronyme veni foras.* (6) *à timoris hujus utilitate*. Frenum veluti quoddam est timor Domini, quo cupiditatum nostrarum intemperantia comprimitur. Timore hoc sublato nil supereſt, nisi ut effrænatâ mente homines in omnia flagitiorum genera rapiantur. Timor Domini contra superbiam selectissimum

lib. 6. Moral. c. 24.

Ep. 5. ad Florent.

est

est antidotum. Unde Apostolus Rom. 11. *noli altum sapere, sed time.* Ab hoc timore securitas nostra pendet, cumque timor & securitas adversari sibi videantur, sic tamen inter se cohærent, ut timor securitatis Christianæ fundamentum sit & origo. Timor est velut internus quidam animæ Doctor, qui nobis semper ob oculos ponit & pericula, in quibus versamur, & leges quibus adstringimur, & rationem quam reddituri sumus, & hostes qui nos circumquaque obsident. (7) *ab ejus necessitate.* Vel enim stas in gratia; vel gratiam amisisti; vel denuò ea ad te reversa est. Semper necessarius timor est. Si adest gratia, time, ne ejus occasione in superbiam efferaris: superbiæ enim Spiritus si impedire non valet actionem, tentat intentionem, suadens ut effectum gratiæ tibi arroges. Si abiit gratia, multò magis time, tanquam mox casurus. Deficiente gratiâ, deficis & tu. Time, Deo tibi irato. Time, quia deseruit te custodia tua. Si redit gratia, omnium maximè timendum, ne recidivam patiaris, quod est deterrimum. (8) *à peccatorum multitudine.* Ut graviora prætream, quàm multa ob subtilitatem nos fugiunt, uti cogitationes, intentiones, omissiones! quàm multa ex ignorantia culpabili peccata esse non existimamus, quæ verè peccata sunt! quàm multa excidunt nobis è memoria, culpâ nostra, ob conscientiam non satis discussam! quàm multa putamus nos benè fecisse, quæ suos coram Deo habent nævos! Sordet sæpe in conspectu judicis, quod intentione fulget operantis. (9) *à præmio*: Timor Domini non solùm corporaliter beat, sed & spiritualiter, dum infundit gustum dulcedinis divinæ. Quò enim magis Deum timemus, eò magis ei adhæremus; & quò arctius adhæremus, eò fortius unimur, inque ista unione beamur. Figuræ Rhethoricæ hoc loco convenientes sunt *Admiratio*, Wie verstockt ist doch die Welt / daß sie nicht sihet die Rache GOttes ehe sie kompt / und nicht empfindet / wenn sie schon da ist. *Apostrophe.* O lieben Christen / fürchtet euch für dem / der Leib und Seel kan in die Hölle werffen. *Optatio*, zu wünschen wäre es daß wirs erkenneten und vom bösen abliessen. *Interrogatio*, So spricht der HERR / solte sich meine Seele nicht rächen an diesem Volcke? *Prosopopœia*, Die Erde / die Berge / das Meer erzittern für dem Gott Jacob: *Apostrophe*, Ach HERR

erhalte unser Hertze bey dem einigem / daß wir deinen Nahmen fürchten.

§. 33. *Lætitia spiritualis* excitatur argumentis (1) *à Dei amore & favore.* Hic enim paternus Dei amor, incredibile dictu est, quantâm piis omnibus lætitiam cum mira fiducia & securitate conjunctam afferat. (2) *à beneficiis Christi.* Ipsum nomen JESU salutis plenum: dicit enim malorum omnium exterminium, & bonorum omnium cumulum. (3) *à certitudine salutis*, quæ demonstratur per testimonium internum Spiritus S. (4) *ab exemplo* Angelorum & triumphantis Ecclesiæ, imò ipsius Dei, qui est DEUS lætitiæ. (5) *à bonitate conscientiæ.* Conscientia recta semper dulcissimè amorem Dei concipit, qui conceptus quanto suavior, tantò lætitia vehementior. Habet bona Conscientia in se fontem omnis lætitiæ, Deum. Unde, sicut in immensum mare decidens scintilla facilè exstinguitur; sic quantacunque Deum timenti illidantur, velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia pereunt. (6) *à familiaritate illâ & consvetudine, quæ pius cum Deo intercedit.* In illa enim cumulatissimis solent pii affici gaudiis. Huc refer illud Hos. 2. 14. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor.* Ad cor loquitur tibi, quando intus te, solatur. Audis loquentem Dominum, quando sentis interni gustus suavitatem, fidei illuminationem, spei augmentum, charitatis incentivum, Justitiæ zelum, virtutum delectationem. Huc spectat venustum illud Sponsæ testimonium Cant. 2. 4. *Introduxit me rex in cellam vinariam* &c. Vini hujus fortitudinem sentis, quando Christus tibi per fidem unitus se in anima tua manifestat, eamque dulcissimè amplectitur, sic ut oscula ejus percipias, ejusque ineffabilem dulcedinem in fonte tuo deguste. Audi Bernhardum ita scribentem: *Si quis orando obtineat, mente excedere in id divini arcani, unde mox redeat divino amore vehementissimè flagrans, & æstuans justitiæ zelo, ita ut possit dicere;* concaluit cor meum intra me, & in meditationibus meis exardescit ignis; *is plane cum ex charitatis abundantia beatam & salutarem vini lætitiæ ructare crapulam cæperit, in cellam non immeritò perhibebitur vinariam introïsse.* Cùm enim duo sint beatæ contemplationis excessus, *in intellectu unus, & alter in affectu; unus in lumine, alter in fervore; unus in agnitione, alter in devotione; pius sanè affectus & pectus amore calent, & sanctæ devotionis infusio non planè aliunde*

Serm. 49.

quàm

quàm è cellâ vinariâ reportantur &c. (7) *ab utilitate hujus gaudii*, quia est adversus voluptatis carnalis venenum antidotum saluberrimum. Sicut enim clavus clavo extrahitur; sic voluptas voluptate, delitiæ carnis delitiis Spiritus, terrenaque dulcedo cœlesti dulcedine è nobis eliminatur. Ea sanè dulcedinis hujus dignitas & puritas est, ut sicut sole oriente tenebræ diffugiunt, splendidissimum solis jubar ferre non valentes; ita cum spirituales & castæ divini Spiritus deliciæ mentem occupant, carnales omnes atque terrenæ delectationes fugantur. Cum anima internis deliciis abundare incipit, terrenas non amplius appetit: sed amore conditoris sui capta, & ipsâ captivitate jam libera, ad degustandam ejus dulcedinem deficiendo suspirat, & suspirando deficit. Gaudium Spirituale nil nisi quædam futuri gaudii prælibatio, quo fit, ut cùm spes præmii animum ad laborem acuat; consequens sit, ut hæc ipsa cœlestis præmii degustatio maximum nobis ad omnia studia incitamentum sit. Experiuntur quotidie sancti mirabiles effectus, maximasque vires, quas ad suscipiendos pro fide labores Spiritus S. spiritualis gaudii, guttulâ mentibus infusâ, operatur. Ubi enim hunc Spiritus fructum gustaverunt, nihil in vita est adeò pretiosum, quod non facilè contemnant: nihil adeò difficile, quod non alacriter aggrediantur. (8) *à facilitate*. Non opus est ut sanguinem fudes, ut montes transferas, *orando* hunc saporem assequeris. Quando enim anima devota omnes curas & cogitationes terrenas à se procul abjicit, totaque intra seipsam collecta, supplicem sè Domino exhibet, mox adest Dominus, eamque lucis suæ splendore primùm illuminat, hoc ipso lumine dilectionis affectum excitat, diligentem verò Spiritus S. gaudio perfundit, mirisque delitiis pascit & oblectat. Orationem autem intellige eam, quæ est fine vagis mentis discursibus, corde quasi in DEUM fixo. Hanc verò mentis vagam instabilitatem nemo facilè vitare poterit, nisi qui puritati cordis diligenter intenderit, & externos quoque sensus, oculos imprimis ac aures, studiosè custodierit, ne per has animæ fenestras variæ rerum imagines subeant, quæ oranti sese coràm exhibentes à rerum cœlestium cogitatione avocent. Vis frui æternis bonis, sperne caduca. Præoccupatum enim secularibus desideriis animum delectatio sancta declinat; nec miscentur facilè vera vanis, æterna caducis, spiritua-

lia corporalibus, summa imis. Via carni quidem aspera, at Spiritui jucunda.

Ex iisdem ferè locis excitatur *Spes & fiducia de misericordia* DEI in Christo 1. *ab universali & summa* DEI *misericordiâ.* 2. *ab universali Christi merito & intercessione apud Patrem.* 3. *à promissionum divinarum universalitate & certitudine.* 4. *ab agnitione peccati & serio vitam emendandi proposito.* 5. *ab exemplis peccatorum, qui misericordiam consecuti sunt.* Spes autem & confidentia in cruce excitatur in genere (1) *à paterna Dei providentia;* (2) *à Dei potentia, præsentia, sapientia & misericordia.* Quia omnipræsens, videt tuas afflictiones; quia omnisapiens, mille novit succurrendi liberandique modos; quia omnipotens, potest; quia misericors, vult te liberare. (3) *à desperationis damno.* Desperatio omnibus malis pejor, omnibus miseriis infinities miserior. (4) *ab utilitate crucis.* (5) *ab ejus brevitate.* (6) *à miseria & interitu eorum, qui pios affligunt.* (7) *à subsecutura felicitate & gloria.* (8) *à promissionibus divinis de non deserendis piis.* (9) *ab exemplis piorum,* qui simili vel graviore miseriarum onere pressi Dei benignitate non solùm evaserunt, sed etiam ad magnam prosperitatem pervenerunt. Si peccator es, cogita confitentem latronem, lacrymantem Mariam, supplicantem publicanum: Si homicida, si adulter, attende Davidem: si derelictus, Jobum: si pauper & contemtus, Lazarum &c. (10) *à periculi vigore:* quo arctiùs obsessi, & in angustias redacti, eo fortiùs in spem erigi debemus, scientes, quod rebus desperatis Deus maximè adesse soleat. Auxilio humano occidente, auxilium divinum oritur. Ex Figuris Rhetoricis adhibentur in excitanda lætitia *Interrogando.* warumb trauren wir / haben wir doch einen gnädigen GOtt? Der Teuffel mag trauren / der GOtt nicht zum Vater hat. Deine Gnade / spricht David / ist mein Trost. In excitanda spe. Was zweiffeln wir an der Gnaden Gottes / hat sie doch weder Maß noch Ende? Sie ist höher denn der Himmel / tieffer denn die Erde; Sie breitet sich über die gantze Welt / Ja sie ist so groß als GOTT selbst ist. *Apostrophe* ad animam, was betrübst tu dich meine Seele / und bist so unruhig in mir? Harre auff GOtt. *Vel* ad persecutores, Frewet euch nicht meine Feinde daß ich darnieder liege / der HERR wird mich wieder ans Licht bringen. *Vel* ad Deum, Ach HERR erfre-

erfrewe uns nun wieder/ nach dem du uns so lange plagest. Accommodari itidem possunt *Admiratio*, *Prosopopœia*, imprimis *Sermocinatio*, introducens Deum vel Christum vel Angelos, vel sanctos consolantes afflictos.

§. 34. Ex affectibus malis sedatur & tollitur *invidia* 1. *à notatione atq; usus ejus rei, ob quam invidiâ flagramus erga proximum.* 2 *à descriptione causæ efficientis & impulsivæ.* 3. *à commemoratione laborum & periculorum*, eorumque cum bonis partis comparatione. 4. *à bonorum acquisitorum extenuatione*, dicendo, quod tanti non sint, quanti æstimantur, & quod nostrâ invidia non sint digna. Ita Chrysostomus. *Quid quæso invides, quod gloriâ mundi fruitur? Sed quali, dic mihi; de qua re Propheta dicit, quòd* flos est fœni? *Propterea igitur doles, quod onera bajulat, & fœni tales circumfert sarcinas? Si enim tibi talis videtur honor invidiâ dignus; & lignicidæ per singulos dies onera ferentes. Nihilò enim melius hoc est onus, sed gravius: illud enim corpus premit tantum: hoc autem & animam lædit plerumq;, & voluptate majorem affert anxietatem, &c.* 5. *à turpitudine, vanitate & damno invidiæ.* Invidia mentis oculos ita obscurat, ut in splendidissima etiam vita nihil nisi nævos cernere possit, muscarum instar, qui dorso jumenti alicujus inambulantes, ulceri, si quod forte deprehendunt, insident, cœtera, quæ sana sunt, deserentes: Scarabæorum instar, qui pretiosa unguenta fugiunt, & ea quæ putida sunt, amplectuntur. Invidia supplicium suum secũ affert, dum viscera hominis lividi exedit & quâdam fellis amaritudine pertundit. Invidia Christo vitam eripuit: qui igitur huic vitio obnoxius est, seipsum ut Christi carnificem meritò horret. Cœteris criminibus unica gehennæ pœna destinata est, sola invidia duplici gehennâ punitur, non eâ solùm quæ post mortem erit, sed etiam in hac vita, quia dùm invidus aliorum felicitate uritur, suam quodammodo gehennam patitur. Veluti teredo consumit lignum, tinea pannum, rubigo ferrum; sic invidia, in quibus generatur. Invidus dùm vult alterius obscurare famam & virtutem, seipsum occidit, non aliter ac papilio, dùm candelam vult extinguere, ejus flammâ comburitur. Invidus aliorum fortunâ tabescit. Vermem alit assiduè pectus corrodentem; veneni, qnovis felle amarulentioris fontem habet in seipso. Vipera est invidia, quæ illam ipsam animam, in quâ concipitur, dilacerat ac exedit. Jaculum est, quod quo vehementiùs in proxi-

Hom: 44. ad popul.

proximum torquetur, eò fortius in jaculatorem ipsum resilit. Intuere invidos & morbum agnosces. Abstrusior iis oculus: obscuriores genæ: demissum & triste supercilium. Unumquodq; vitium suæ contrarium est virtuti, Superbia humilitati, avaritia liberalitati, invidia verò adversatur omni bono. Aliis vitiis quoddam inest bonum, quamvis breve, avarus lucrum, superbus honorem percipit: sola invidia sibi nihil affert commodi. Invidia omnia dissipat, omnia dispergit: successum suum ab alterius infortunio, non sua fortuna metitur, Christi membra flagellat, quo nihil furiosius. Invidet Satan, sed hominibus, socio nemini: tu verò homo cùm sis, hominibus invides, odium adversus materiam communem exerces, Dæmonemque malitiâ superas. Invidiæ vitium contra rationem est & naturam: naturalis enim ratio dictat, illum diligendum qui bonus est; Invidus autem illos odio habet, qui vitæ sunt melioris. Invidia directè charitati contrariatur: potissimi enim charitatis actus sunt gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Gaudet qui amat cum gaudentibus, quia proximi bona sua existimat: flet cum flentibus, quia mala proximi sua ireputat. Radix malorum omnium est invidia: hæc superbiam inflat, impatientiam concitat, avaritiam inflammat, iram generat, ambitionem fovet, discordiam nutrit. *6. à facilitate superandi hoc vitium.* Facillimè hoc quicquid est mali vinces, si (α) apud animum tuum statuas, nil quicquam magnificum vel expetendum esse in rebus visibilibus. (β) Sic intuearis bonum proximi, quasi tuum sit, tibique à DEO per fratrem destinatum: non enim ut sibi reservet, sed ut tibi inserviat, accepit donum frater tuus (γ) perpendas, fortunam eorum, quibus invidendum putas, non fore diuturnam (δ) cogites, te nihil lucrari ex tua invidentia, nec nocere eis, quibus invides, sed potius prodesse, tibi verò ipsi nocere. (ε) attendas Deum esse, qui proximo dedit, quæ invidenda putas. Quare tu eum vis maledictum, quem Deus voluit esse benedictum? (ζ) Cogites, omnes nos fratres esse non membra unius corporis. membrum autem unum alteri non invidet, licet inferiorem locum obtineat &c. Pertinet huc ex Figuris, *Interrogatio*, *Compellatio*, *Prosopopœia* & *Apostrophe*.

§. 35. *Ira* sedatur argumentis desumtis 1. *à communi omnium natura*; dicendo, quòd æquè sint homines quibus irascimur, quàm

qui

quii irascimur. Unum membrum corporis non furit in alterum. Ubi distincte considerari potest proximus, *tùm* ratione cognationis spiritualis, *tùm* ratione meritorum, *tùm* ratione pœnitentiæ, quod doleat de peccato, deprecetur culpam, & compensare damnum paratus sit. 2. *à vindictæ vanitate*, quæ ostendi potest *tùm* ab effectu, quia nulla inde in iratum redundare potest utilitas: *tùm* à causæ levitate, quod non sit tanti, ut aliquem ad iram movere possit; *tùm* à longanimitate Dei, Christi & Sanctorum; *tùm* à consequente malà conscientiâ & irâ Dei. 3. *ab ejus effectis perniciosis*: nam (α) auffert homini rationem. Quod sol mundo, quod oculus corpori, hoc ratio animæ. Hinc (1) iratus nullius boni consilii capax est (2) ineptus est ad omnem administrationem. Abripitur enim non quà æquitas vocat, sed quà passio & furor trahit. (β) hominem etiam exterius deformat, & in bestiam commutat. Vides in irato oculos igneos micantesque; vides liventi sanguine suffusum vultum, os tumidum, venas ob turbati intrà viscera Spiritus angustiam disruptas, vocem asperam & intensam, sermonem inconstantem & confusum. (γ) auffert animæ quietem. Sicut enim modicum fellis aut absinthii immissum in vas melle plenum, totum mel corrumpit & amaricat; sic iracundia pacem cordis; quia iræ sedes & natura est fel bilisque, quæ in irato effunditur in stomachum & alia membra. (δ) hominem sanitate privat, ipsum veluti exedens ac consumens. 4. *à facilitate superandi*. Facillimè vinces iram, vel irascendo non peccabis, si (a) insurgente iracundiæ motu protenus te & causam tuam Deo commendes. (b) non festines ad vindictam *Jacob.* 1. (c) nihil in ira vel loquaris vel facias: nescis enim eo tempore, quo ratio tua obnubilata est, linguâ aut membris tuis rectè uti. (d) meum & tuum pellas: exhinc enim omnis ira propullulat. Sedato appetitu concupiscibili, facile conquiescit irascibilis. (e) nihil in ira serium aut severum statuas, ne postea facti pœnitentiâ ducaris. (f) mentem avoces, & ad honestum aliquod negotium convertas. (g) Solem non sinas occidere super irâ tuâ. *Eph.* 4. Quatuor novissima pensita, imprimis mortem, quæ brevi te cum proximo conjunget in cœmiterio, & omnes pares faciet &c. (h) iræ materiam removeas: nam deficientibus lignis, deficit ignis. (i) Salutaribus cogitationibus mentem præmunias.

Cogita quàm sæpe, quàm graviter tu Deum hominesque offenderis, qui tamen tibi ignoverunt. Cogita hominem præ cœteris animalibus ad pacem natum, cùm solus inermis sit, sine cornibus, calcibus, aculeis, dentibus &c. (k) pensites, quanta sint iræ damna & incommoda; Quæ cor intus corrodit, sicut vermis in pomo proprium habitaculum. Ira reddit hominem abjectum, pusillum & muliebrem; nam ut exulcerata & ægrota corpora, quæ ad tactus leviſſimos gemunt; ita ira muliebre maximè & puerile vitium est. Fortes non facile commoventur. at qui debiles sunt & effœminati, sicut stupa ignem, ita facillimè concipiunt iram §. *ab iræ vilitate*. Generosi animi character est injuriarum facile oblivisci: contra injuriarum memoria atque ira, proprium est infirmi pectoris vitium. Videmus enim pueros, senes, ægrotos, mulieres & mentis inopes supra cæteros irasci magis. Ira subdit hominem Dæmonis imperio. &c. Figuræ Rhethoricæ commodiores hîc sunt, *Compellatio, Interrogatio, Apostrophe, Exclamatio, Exsecratio, Charientismus*.

§. 36. *Tristitia* ob res mundanas illicita tollitur argumentis desumtis 1. *à rerum mundanarum vilitate*, quæ ostendi potest per comparationem cum rebus spiritualibus & æternis. 2. *à damno*, quod multis inde oritur, *tàm* temporali *quàm* æterno. 3. *à vanitate*, quod aliquando deserenda sint bona caduca. 4. *à providentiâ Dei*, sine quâ nec capillus decidere potest de capite nostro. 5. *à doloris vanitate*, quia eo nihil præstamus, nisi quod nos ipsos consumimus. Huc spectant argumenta quibus lætitiam excitamus; iisdem enim dolorem excutere possumus. Sic desperatio iis argumentis tollenda est, quibus spes excitatur. Ex Figuris Rhetoricis huc imprimis faciunt, *Interrogatio*, *Exclamatio*, *Apostrophe*, *Dialogismus*, *Exsecratio*.

§. 37. Notanda autem in hac pathologia veniunt sequentia. 1. Quod argumenta Pathologica ex locis Inventionis prolixè sint amplificanda. 2. quod non omnia sint necessario adducenda in una concione ad aliquem affectum movendum, sed interdum unicum sufficiat, modo amplificetur ex locis Topicis, exornetur Figuris Rhethoricis & convenientibus formulis proferatur. 3. Sæpe Concionatorem sepositio omni artificio, & ubi nihil de affectu cogitat, quàm maximè affectus movere. Ipsa enim Oracula divina ob majestatem & certitudinem tantum in se habent ponderis ac virium

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730151751/phys_0094
DFG

rium, ut si accedat decens & gravis eloquendi ratio, ad affectus protrahant: hinc fit ut sæpe indocti doctissimis præferantur, quia hi destituunrur illa Spiritus S. virtute, majestate ac confidentiâ in loquendo. 4. Argumenta non esse stipanda & continuè collocanda, sed interpositis similitudinibus, exemplis, digressionibus, velut discernenda, ne disputatio magis sit quàm Oratio. 5. Potentissima argumenta primo & postremo loco esse ponenda, mediocria intermedio, quia turpe est Orationem decrescere. 6. Argumentorum puncta, h. e. momenta, vires atq; pondera sub verborum & sententiarum ornamentis esse occultanda &c.

CAPUT VI.
DE
ACTIONE.

§. 1.

NOn minus necessarium medium ad habendam concionem est *Actio*, in quâ magna vis persuadendi & affectus movendi sita. Undè non immeritò Keckermanno dicitur *externa Concionis forma*, & veluti *anima*, sine quâ totum Concionis corpus cadaveris instar habetur. Demosthenes interrogatus, *quid in Oratore primum & ultimum*? dixit, *actio*.

§. 2. In Actione considerantur duo *moderatio vocis & gestuum*.

§. 3. De utroque in genere observandum est, 1. quòd præstet quà Actionem peccare in defectu, quàm in excessu; eò quòd hâc ratione longiùs abest Orator ab affectatione, quæ semper odiosa est. 2. Sedata debet esse Concionatoris actio, gravitati & majestati rerum conveniens. 3. Quisq; sequi debet naturæ suæ ductum in voce & gestibus, nisi vitio quodam laboret, quod corrigendum erat. 4. Alios imitari laudatos Concionatores commendatur, attamen caveat Orator, ne in scurram degeneret. Duo enim cum faciunt idem, non est idem. 5. metus ac trepidatio, quæ plurimùm officit Actioni, sedulo vitetur, proinde & multa scriptio, quæ metum generat.

§. 4 In specie moderationem vocis quod attinet: debet illa esse 1. *clara* & dilucida, 2. *articulata* & distincta. 3. *Tardiuscula*, ut eò meliùs omnes syllabæ & distinctiones percipiantur ab auditoribus. 4. *Suavis* & ornata, quam suavitatem Quintilianus vocat *gratam vocis inclinationem*; & Cicero *dicendi cantum* quendam ac *modulationem*. 5.

Ratione Quantitatis temperata ad loci amplitudinem; ratione magnificentiæ vel humilitatis ad qualitatem & statum auditorum. Interest enim an Principi loquaris, an promiscuæ multitudini. 6. si imbecillior fuerit, rariùs attollatur, sæpius autem deprimatur ac flectatur. 7. *Naturalis* non affectata. 8. *Seria* & gravis, ut Majestati divini verbi conveniat.

§. 5. Vitia in pronunciatione sunt 1. *nimia clamositas*, quæ quidem aures implet; sed turbat vocum articulatas sectiones, impedit venustatem pronunciationis, facit Orationem nonintelligibilem, imo magno sæpe cum periculo juncta est apud eum, qui voce grandiore à natura non est instructus. 2. *Præcipitatio*, ob easdem rationes. 3. *nimia tarditas*, quæ quidem verba sic recitat, ac si in calamum aliquid dictet; hæc somnolentos facit auditores. 4. *Monotonia*, quâ eundem semper tonum premimus. In Exordio lenis sit, paulatim accrescat & incalescat: In initio tardior, in fine celerior.

§. 6. Gestus est decora corporis Dispositio in *situ & motu*.

§. 7. In genere; sit nativus, ex pio animi affectu sponte fluens: servet decorum personæ, loco, temporique conveniens. Insuper rebus serviat, & pro varietate rerum aptè varietur. Eleganter Erasmus: *Habitus mentis sincerus ac perfectus, facundiam rebus sacris dignum & gestus decentes ultrò suppeditabit. Fit enim, nescio quo pacto, ut interna species animæ migrent in hominem exteriorem, totumq; ad suam transfigurent imaginem, non aliter, quàm sanguinis & intestinorum occulta vitia sese produnt externo corporis habitu.* de ratione Conc. lib. 2.

§. 8. In specie quoad *situm*, totum *corpus* sit erectum & fermè quietum; *caput* versùs auditores directum; *frons* aperta, nisi vehementior affectus sit exprimendus. (rebus enim convenire debet vultus, ut hilaritatem in lætis, mœstitiam in tristibus præ se ferat.) *Affectus* oculorum gravis & benignus; *humeri* æquales & quieti; *brachia* pro varietate affectuum gubernentur accuratissimè; *manus* primùm sint compositæ, deinde leniter passæ atq; se moventes: *pectus* & *venter* recondantur; *pedes* quiescant.

§. 9. In *motu* vitandi sunt gestus histrionici ac vitiosi, nempe *capitis* jam in dextrum, jam in sinistrum latus, nunc in cœlum, nunc in terrâ projectio: *Supercilliorum* in altum elevatio: nimia *brachiorum* extensio; *manus* sinistræ agitatio, dextræ projectio; *menti* in pectus inclinatio frequens suggesti verberatio, ac *pedum* motio.

PARS SPECIALIS.

CAPUT I.

DE VARIIS CAUSARUM GENERIBUS

§. 1.

HActenus Concionum *generalia* principia, nunc *specialia*, seu *propria*, quæ ad certam materiam sunt restricta, dispicienda veniunt; illa sunt *causarum genera*, & quæ ab iis dependent, *variationes Thematum, Exordiorum, Pronunciationis & Actionis*.

§. 2. Profani Rhetores tria causarum Genera faciunt. *Demonstrativum*, *Deliberativum & Judiciale*. *Illud* versatur circà auditorem nudè auscultantem alicujus rei descriptionem, laudem vel vituperium. *Istud* circà auditorem dubium, deliberantem quid faciendum vel omittendum sit? *Hoc* circà Judicem dicentem controversias auscultantium & defendentium. Addunt alii Genus *Didascalicum*, quod in genere circà auditorem informandum occupatum: sed & illud ad Genus Demonstrativum referri potest.

§. 3. Hæc observasse ad id conducit, ut Concionator materias discernere, & convenientia argumenta ad tractandam quæstionem promtè invenire queat. Verùm hæc dicendi Genera ex profana Rhetorica desumta generatim tantùm quæstiones distinguunt, & generalia tantùm argumenta suppeditant. Ecclesiastes autem adhuc distinctius materias expendere & discernere cogitur, ut ritè possit secare verbum Dei. Nec Genus *Judiciale*, quod ad forum Politicum accommodatum est, cum omnibus suis argumentis ad Judicium Spiritus S. in Ecclesia quadrat. Rhetorica E. Ecclesiastica, specialiora & ad quæstiones sacras tractandas aptiora habet causarum Genera.

§. 4. Illorum distinctionem Paulus insinuat *1. Tim. 3. 16.* Didascalicum, seu *Doctrinale*; Elenchticum, seu, *redargutivum*; Epanorthoticum, seu, *correctivum*; Pedevticum, seu, *Institutivum*; & Paracleticum, seu, *Consolatorium*.

§. 5. Hæc Causarum Genera hoc modo cohærent. Quicquid docetur in verbo Dei, *vel* pertinet ad fidem, *vel* ad mores; *vel* ad credenda, *vel* ad facienda. Quæ ad *credenda* pertinent, tractantur vel in thesi *asserendo*, quid credendum sit: hinc Genus *Didascalicum*; Vel in antithesi, *destruendo*, quid non credendum sit, hinc Genus *Elenchticum*. Quæ ad *facienda* spectant, vel proponunt *virtutes* sectandas, hinc Genus *Pedevticum*: vel fugienda *vitia*, Hinc *Epanorthoticum*; vel *remedia* contra calamitates, hinc *Paracleticum*.

§. 6. Quodlibet Genus habet suas certas *species* per quas adhuc specialiùs distingui potest. Species Generis *Didascalici* sunt *Historiæ*, *Narrationes* personarum aut rerum, *Descriptiones*, *Demonstrationes*, *Testificationes*, *Asseverationes Dei promissiones* & *Comminationes*. Species Generis *Elenchtici* sunt *Accusationes*, *Defensiones*, *Refutationes*, *Negationes*, *Exprobrationes*, *Expostulationes*, *Maledictiones*, *Excommunicationes* ob errorem fidei. Species Generis *Pedevtici* sunt *Præceptiones*, *Laudationes*, *Suasiones*, *Adhortationes*, *Commendationes*, *Petitiones* & *Promissiones*, quatenus hæ concernunt virtutes Christianas. Species Generis *Epanorthotici* sunt *Dehortationes*, *Dissuasiones*, *Prohibitiones*, *Vituperationes*, *Comminationes*, *Punitiones*, *Devotiones*, *Imprecationes*, quatenus ad mores referuntur. *Consolatorii* Generis species sunt *Compassiones*, *Querelæ*, *Promissiones* auxilii &c. Ex his patet, quod in Genere Didascalico dentur themata simplicia & composita, in cæteris tantùm composita, quia ibi informationis gratiâ quæstiones & illustrari & probari possunt. Neque enim sine probatione ex textu refutare, hortari, dehortari & consolari licitum est.

§. 7. Præterea dantur argumenta cuivis Generi propria à profanis Autoribus passim notata. *Argumenta* Generis *Didascalici* sumuntur *1. à personâ*, quæ secundùm omnes locos personarum describi potest. *2. à rebus*, quarum proprietates describi, & per omnes vel quosdam Locos Topicos deduci possunt. *3. à mediis agendi*, quibus mediis vel auxiliis persona in agendo usa sit, quibus adminiculis

res

res producta vel acquisita sit. Circà quæ media iterum distinctè consideratur, an sint naturalia, an Spiritualia? an licita, vel illicita? an utilia, vel inutilia? *4. à modo*, quo aliquid factum sit vel fieri oportuerit? eoque proximo & remoto. *6. à tempore*, quando aliquid factum vel acquisitum sit? *7. à loco*, ubi res contigerit, vel producta fuerit? Huc spectant omnes Loci Rerum, Personarum, & Circumstantiarum, quatenus ex iis credenda illustrari queunt.

§. 8. Elenchticus opiniones cum textu pugnantes proponit, easque nisi sint sepultæ aut blasphemæ, clarè explicat, quousque veræ ac falsæ sint, & quomodo ab orthodoxa Sententia differant, judicat, refutatque non tantùm theoreticè, ostendendo eas pugnare cum Scriptura & analogia fidei: sed & practicè, monstrando quàm parùm ad salutem, ad consolationem nostram & ad Dei gloriam conducant. In summa, monstrat non tantùm quod adversarii errent; sed etiam quàm periculosè errent, & objectiones & exceptiones illorum diluit.

§. 9. *Argumenta* Generis *Elenchtici* sumuntur 1. *à dicto Scripturæ* sententiæ adversariorum contrario. 2. *à negatione rei*, eâque vel *totali*, quod nullo modo sit; vel *quoad speciem*, quod non sit; vel *quoad qualitatem*, quod talis non sit; vel *quoad quantitatem*, quòd tanta non sit. 3. *ab inconsequente*, quod non sequatur id quod adversarius infert. 4. *ab absurdo* seu impossibili. 5. *à blasphemia* in Deum, vel Christum; sive *directè*, sive *indirectè* committatur. 6. *à contradictione* seu confessione adversarii, quæ iterum est *directa*, vel *indirecta*. Huc iterum spectant loci Topici, quatenus doctrina in fidem impingens ex illis neganda vel impugnanda est; ex quibus enim quæstio affirmatur; ex iis etiam negari & negatio ejus probari potest.

§. 10. Genus *Pedevticum* hortatur ad virtutes Christianas, simulq; media quæ ad virtutes illas in nobis generandas vel confirmandas faciunt, adjungit. *Argumenta* ejus depromuntur 1. *à mandato divino*, quia Deus præcipit 1. Thes. 4. 1. Pet. 2. 2. *ab æquitate naturali*, quia naturæ ipsi conveniens est. Rom. 6. 3. *à necessitate*, quia necessarium est Hebr. 4. Necessarium autem est, sine quo vel bonum aliquod esse aut acquiri, vel malum aliquod amoveri aut evitari non potest. 4. *ab honesto* seu decenti Christianorum officio Rom. 8. Honestum autem est, quod vel est ipsa virtus, vel virtutis causa, vel virtutis

tis effectus: Honestum est, quicquid Deus, recta ratio & viri prudentes præcipiunt: honestum est, quicquid parit laudem. 5. *à Jucundo* seu gaudio Dei, Angelorum & hominum. Luc. 11. 6. *ab utilitate* seu præmio, eoque temporali & æterno Rom. 4. 7. *à facilitate*, seu præsentibus ad miniculis & mediis expeditis Phil. 4. 8. *ab incommodo* quod sequitur si omittatur Rom. 6. Gal 6. 9. *ab exemplo piorum*, imprimis Christi, cujus vestigia premere oportet. Phil. 2 10. *ab afflictione eorum qui nobis adversantur.* Phil. 3. 1. Pet. 3. Tandem hæc spectant omnia, quæ hominem ad aliquid faciendum impellere possunt.

§. 11. Genus *Epanorthoticum* dehortatur à vitiis, simulque media adversus illa vitia annectit. *Argumenta* sumit ex locis Generi Pedevtico contrariis. 1. *ab inter dicto divino*, quia Deus prohibet. 2. *à repugnantia æquitatis naturalis*, quia naturæ ipsi adversum est Rom 8. 3. *à non necessario.* 4. *ab indecoro*, quia bonis moribus & honestati adversatur Rom. 11. 5. *ab injucundo* respectu Dei, Angelorum & piorum Phil. 3. 6. *ab inutili*, quòd nemini inde exspectandus sit fructus Rom. 6. 7. *à difficili* seu multis impedimentis ac periculis 8. *à damno* temporali & æterno. Rom. 6. Gal. 5. quod amplificari potest tùm à cruciatuum æternorum vehementia, tùm à qualitatibus, effectis & aliis circumstantiis, quæ omninò terrorem incutere possunt. 9. *à Contrariis piorum exemplis.* 10. *à gaudio Diaboli ac impiorum.*

§. 12. Genus *Consolatorium* plerumque notas exhibet ex quibus Conscientiæ hominum certæ reddi possunt, quod ejusmodi beneficium ad ipsos pertineat, cujus consideratione Ecclesiastes fidelium animos consoletur, adjectis occupationibus & refutatis iis quæ pia mens & anxia in contrarium afferre possit. Ipsa autem *argumenta* depromit 1. *à Misericordia & potentia Dei* Ps. 103. 2. *Christi merito & intercessione.* 1. Joh. 2. 3. *ab assistentia Spiritus S.* consolantis nos & succurrentis infirmitati nostræ. Rom. 8. 4. *à Dei Providentia* non solùm generali, quâ omnes, sed etiam Speciali, quâ pios curat. 1. Pet. 3. 5 *à communi sorte omnium piorum*, qui idem nobiscum experti sunt fatum 1. Pet. 5. 6. *ab exemplo Christi, Prophetarum & Apostolorum*, quod proponendum est per comparationem Majoris ad minus. 1. Petr. 2. 7. *ab utilitate afflictionis*, quia conducit, non solum ad temporalem: sed etiam æternam beatitudinem. Rom. 8. 8. *ab ejus brevitate*, quia

brevi

brevi finem attinget 1. Petr. 5. 9. *à bonitate causæ & conscientiæ.* 1. Cor. 3. 10. *à subsequente lætitia & excellenti gloria.* Rom. 8.

§. 13. Non autem æstimandum est, hæc argumenta quoad totidem syllabas præcisè observanda in formandis concionibus, adeo ut nihil liceat addere, nec ullis aliis verbis proponere; sed eum in finem hoc ordine collocantur, ut Ecclesiastes ad quævis themata convenientia argumenta in promtu habeat. Dato igitur textu Biblico, diligenter attendere debet Concionator, ad quod dicendi genus pertineat, id quod facile cognoscitur, si modo unius cujusvis Generis definitio & species observentur. Si enim textus docet aliquid ad salutem pertinens, Didascalicus est; si refutat, Elenchticus; si suadet aut hortatur ad virtutes, Pedevticus; si increpat aut dehortatur à vitiis, Epanorthoticus; si consolatur afflictos, Paracleticus; si docet & hortatur simul, ad duo genera, Didascalicum & Pedevticum; si increpat & consolatur, ad Epanorthoticum & paracleticum referri debet. *V. G.* Evangelium Dom. 1. Advent. *Matth.* 21. quia describit ingressum Christi in Jerusalem, totum est Generis didascalici. Epistola eodem Die *Rom.* 13. quia hortatur ad studium pietatis, est Generis Pedevtici. Evangelium Dom 2 Adv. *Luc.* 21. quia partim describit signa extremum diem anteceſsura, partim hortatur ad vigilantiam, ad tria Genera pertinet, Didascalicum, Pedevticum & Consolatorium. Epistola eodem die *Rom.* 15. quia partim informat de Fide & effectu verbi divini, partim optat & suadet concordiam, partim demonstrat Judæorum & Gentilium vocationem doctrinam & hortationem continet. Evangelium Dom. Judica. *Joh.* 8. quia continet Judæorum accusationem & Christi defensionem est, Generis Elenchtici.

§. 14. Hæc accuratè notanda sunt 1. ut scopus textus eò melius observari queat, quem præfixum habet Concionator, diri-gendo ad ipsum omnia quæ in tota Concione tractantur. 2. ut conveniens thema constitui possit, quod ad propositam materiam maximè quadret. 3. ut Conclusiones legitimè ex themate proposito deduci possint 4. ut argumenta thema vel ex themate deductas conclusiones probantia, illustrantia, amplificantia sine difficultate inveniri queant. 5. ut partitio debito modo institui possit quoad partes tàm disparatas quàm cognatas, ne illæ inter se con-

fundantur. Si enim textus ad duo vel tria Genera pertineat, in partes disparatas dividendus est; si unius tantùm est Generis, propositio in eo contenta in partes cognatas ut plurimum dividitur.

§. 15. Sicut autem probè observandum est, ad quod Genus causæ ipse textus pertineat: ità non minus diligenter attendendum, ad quod Genus conclusio seu usus per consequentiam ex textu deductus, referendus sit idque eum in finem, ut eò melius argumenta, inveniri & amplificari, ac formulæ connectendi commodè formari possint; secundum Genus dicendi enim distinguitur usus in Didascalicum, Elenchticum, Pedevticum, Epanorthoticum, & Consolatorium.

§. 16. Cæterum melioris evidentiæ gratia libet totam rem in Schematibus quibusdam ob oculos ponere.

DISPOSITO I.

In

Prov. XV. 9.

Abominatio Jehovæ est via impii; sectantem autem justitiam diligit.

Thema est conjunctum, constans membro gemino. Primum exhibet *studium Justi*. Secundum *studium impii*. Studium impii illustratur 1. *suo subjecto*, quod est רשע, homo ἄθεος, qui non est in ac sub Deo *ordinatus*, ac proinde *irrequietus*, ἀκατάστατον, humanum divinumque turbans ordinem. Homo qui vel Justitiam omnem contemnit, vel eam in seipso & suis operibus quærit. Prius significatum infert vis vocis Hebrææ; posterius antithesis inter רשע & צדיק. II *à suâ formâ*, quæ consvetâ *viâ* Metaphorâ exprimitur, designante omnes, actus vitiosos, tàm verbales, quàm reales, in quibus ipse habitus vitiosus quasi foràs progreditur, sesequs prodit: vel omnem impiorum vivendi rationem, in qua, velut in via, passim procedunt, scopumque suum indies magis magisque contingunt, imò ei tandem ceu viæ tritæ adsvescunt. *a* III. *Connexo suo*, quod est abominatio Domini. Amplificatur *per species*. Nam abominatio Dei

alia

alia est simplex, qua abominatur peccatum, utpote naturæ & Sanctitati suæ directè oppositum alia inimicitiæ; qua peccatores, quatenus tales, malis pœnæ persequitur. Hæ pœnæ iterùm amplificari possunt per distributionem in Species, de quibus vid. Theologiæ nostræ Scholast. *c.* XIIX.

Studium justi illustratur iterùm I. *ab objecto*, quod est צדקה, *Justitia*. Declaratur ex loco Disparatorum: Non (α) Justitia *Ethica*, tàm particularis, quæ tùm in distributione, tùm in commutatione rerum justam servat æqualitatem, quam Justinianus definit, quòd sit *constans & perpetua voluntas suum cuiq; tribuendi*: quàm universalis, quæ est complexus omnium virtutum. Sed Justitia *Theologica*. Non tamen (β) justitia *legalis*, quæ respondet τῷ ἀκεραιοδικαίῳ Legis, & est obœdientia perfecta, ac sanctitas omnibus numeris absoluta, quo sensu Christus κατ' ἀντονομασίαν ὁ Δικαιος dicitur à Stephano *Act. 7. 52.* Sed justitia *Evangelica*, eaque (γ) tùm *imputata*, quam per fidem habemus in Christo; tùm *inchoata*, quam Sptritus S. incipit operari in nobis, cujus complementum habebitur in altera vitâ. II. *à forma* seu modo, qui insinuatur verbo מרדף *persequendi, h. l.* valdè emphatico. Hoc ipso enim justitia veluti præda nos fugiens intellectui subjicitur: hanc fugientem jubemur insequi, idque ingenti contentione, conatu & studio, ut eam velociter præcurrentem velociori cursu assequi valeamus. Igitur quo conatu canis venaticus persequitur leporem, præ illo gressus accelerando & multiplicando, donec eum comprehendat; eodem nos Justitiam persequi debemus, cursumque semper intendere, donec eam assequamur. III. *à connexo*, quod est *amor Dei*, qui amplificatur tùm *à subjecto*, quod est Deus, Ens nobilissimum. &c. A nobilitate subjecti pendet nobilitas amoris: tùm *ab objecto*, quod sumus nos miseri homines, vermiculi &c. tùm *ex loco similium & dissimilium*; amari à Principe, à viro illustri, quantum hoc est! Quid igitur amari à Rege Regum, & Domino Dominantium! Tùm *ab Effectu*. Amor Dei practicus est. Quem amat Deus, multis beneficiis afficit: conservat, gubernat, à malis præmunit, ex malis eripit, in bono custodit. &.

USUS (α) *Didascalicus* docet actiones tàm malas impiorum, quàm bonas piorum objici notitiæ divinæ, hoc tamen discrimine; quod *illarum* notitia est simplex & theoretica; *harum* practica &

cum affectu amoris juncta. (β) *Paidevticus* hortatur ad studium justitiæ, argumentis, tùm *à Jucundo respectu Dei*; tùm *ab utilitate respectu nostri*: utrumque voce *amoris* indicatur. (γ) *Paracleticus* solatur eos, qui ob studium justitiæ mundi odio & ærumnis variis premuntur, argumento *ab amore Dei* desumto, qui amor non est vacuus vel in mera propensione evanescens, sed operosus & beneficus. (δ) *Epanorthoticus* revocat à via iniquitatis, argumento tum *ab injucundo*, tùm *à periculo* & damno, quod odium Dei infert Castigat quoque eos, qui ex felici impiorum successu tacitam Dei approbationem colligunt. Deus enim viam impiorum per essentiam suam detestatur vehementer, utut longanimitas ejus ad pœnitentiam aliquandiu invitet pravos istos viatores. *Rom.* 2. 4.

DISPOSITIO II.

In Job. VII. v. 6.

Dies mei leviores extiterunt radio textoris, & confecti sunt, ità ut non sit, quod exspectem.

Propositio continet querelam Jobi de vitæ suæ fugacitate. Illustratur hæc vitæ fugacitas I. descriptione *subjecti*, per appellationem *dierum*. Vocat enim vitam dies suos, quod quasi paucorum dierum, qui cito prætervolant, fuerit. II. attributione *Prædicati, Levitatis*. Quæ levitas declaratur per simile desumtum à radio seu navicula textoris, quæ celerrimo motu circumvolvitur. R. Levi instrumentum intelligit, cui inseritur filum textoris, h. e. *tramam*: Amplificatur *à dissimili*, in verbis; *fine spe*. תקוה quia filamentum quoque notat, inde Tigurinus: *tramâ deficiente finiuntur*. Malo simpliciter תקוה *Spem* exponere, ut sensus sit: radius textoris circumvolutus redit in orbem, absoluto opere novum aggreditur, tegmen & filum textoris ruptũ reparari potest: sed filum vitæ resectum nunquam hic resarcitur.

USUS (1) *Didascalicus* exhibet fugacitatem vitæ humanæ. Nam *vitæ hujus principium est mortis exordium, nec priùs incipit augeri vita nostra,*

stra, quàm minui, cui si quid adjiciatur spatii temporalis, non ad hoc accedit, ut maneat, sed in hoc transit ut pereat. inquit Ambros. (2) *Paidevticus* admonet tùm ut maturè nos ad mortem præparemus; tùm ut cùm parùm temporis habeamus, rectè illud collocemus. Gal 6. v. 10. (3) *Epanorthoticus* invehit in eos, qui vitam sibi pollicentur immortalem, pœnitentiâ differant, & tempus vel frustrà terunt, vel malè locant. (4) *Paracleticus* erigit (α) calamitosos, argumentis desumtis, tùm *à vitæ fugacitate.* cum vita finitur ærumna: tùm *à Providentia Dei.* Ut enim radius textoris ab artifice; sic vita nostra ejusque accidentia à Deo reguntur. (β) oppressos à tyrannis. Nam ut radius textoris strepitum edit, sed citò transvolat; ita Tyranni, dùm tumultuantur, pereunt. (γ) morituros. Ut radius textoris absoluto opere non quiescit, sed iterum ab artifice ad opus revocatur, & filum ruptum connectitur; sic mortui in vitam revocabunrur, & copula animæ ac corporis redintegrabitur.

lib. 2. de Vocat. Gent.

DISPOSITIO III.

In

Esai. LX. v. I.

Surge illuminare, quia venit lux tua.

Thema est Paidevticum hortans ad agnitionem lucis Spiritualis, ejusque rectum usum. Adhortationis I. *Subjectum Quod* est Propheta, tanquam Angelus Jehovæ. II. *Subjectum Cui* est Ecclesia Judaica in membris vivis considerata. III. *Forma* figuratur per *Apostrophen*, estque non saltem invitatoria, sed & gratulatoria. Planè enim agit Propheta, ut qui captivum in profundo ac squalido carcere detentum inclamat, Surge, liber esto & gloriosus! Is namque non solùm hortatur, sed & congratulatur, quasi dicat, age, fruere optatâ libertate, gratulare tibi & Deo gratias age. IV. *Materia* exprimitur verbo gemino, *surgendi* & *illuminandi.* Surrectio præsupponit *vel* sessionem, *vel* cubationem, *vel* somnum, *vel* mærorem. Surgit qui evigilat è somno peccatorum, qui caput attollit,

& libertatem, lucem ac lætitiam sibi à Christo oblatam obviis manibus amplectitur. Illuminatur, qui gratiæ illuminanti non resistit, vel qui lucem fidei & gratiæ recipit quasi Speculum, ut transformetur in eandem imaginem, fiatque quasi Sol orbem illuminens. V. *Ratio* additur in verbis: *Lux tua venit.* Ubi (α) ponderatur *Subjectum*, seu ipsa Lux, per quam intelligitur Christus *Joh.* 1. 9; *c.* 8: 12. *Mal.* 4. 20. Similis is est luci, quia & tenebras mentis discutit 1. *Cor.* 1. & corda amoris cælestis igne inflammat. *Luc.* 24. 22. & abscondita cordium retegit. *Luc.* 2, 35. (β) *Subjecti restrictio*: Lux *tua.* Zionis lux est & ratione primi ortus, & ratione personalis illuminationis. (γ) *prædicatum*, seu lucis adventus, qui intelligitur non tàm corporalis, quàm spiritualis, quo per doctrinam Evangelii cordibus hominum illabitur, ut ea illuminet: Lumen intellectus, & fervor affectus præsentiam hujus lucis characterizant.

USUS *Doctrinalis* describit Regnum Christi ut regnum lucis, argumento *à qualitatibus lucis* desumto. *Hortatorius* urget, *tùm* ut agnoscamus exortæ lucis beneficium, & gratias agamus; *tùm* ut posthac in luce ambulemus, fide quidem, credendo in Christum: Vitâ verò, ad exemplar vitæ Christi nos conformando: argumentis *ab honesto, utili, jucundo &c. Dehortatorius* stringit eos, qui opera tenebrarum sectantur, argumento tùm *ab inhonesto.* Rom. 13. *Sicut in die, honestè ambulemus &c.* tùm *ab adjuncto periculo*, quia illuminationem suam ipsi impediunt. Non enim illuminatur, qui non surrexit. *Consolatorius* animum addit iis, qui in tenebris mœstitiæ desident, argumento *ab adventu lucis* instante, vel in nonnullis, à sensu lucis jam præsentis.

DISPOSITIO IV.

In Eccles. I. v. 2.

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

Agit hæc Gnome de vanitate mundi. Illustratur vanitas ista. I. *à Subjecto*, quod insinuatur voce הבל, *hoc universum*, vel, tota hæc

hæc universitas. Nam כל est propriè nomen substantivum, *totalitatem* s universalitatem significans, cui ה emphaticè præponitur, quasi Salomo digito exserto ostenderet singula hujus mundi contenta. II. *à forma*, quæ indigitatur voce חבל. Kimchi in *lib. Radic.* exponit דבר שאינו כלום, *res quæ non est quicquam*: & subjungit, sic appellasse Doctoes, הויצא מפה *halitum ex ore exeuntem*, quod sit res המתבשל וכלה במהרה *quæ celeriter sesset & consumatur.* In *comment. in h. l.* exponit, דבר שאין בו ממש *res, in qua non est subsistentia.* Vanum est, quod non est solidum, nec stabile: quæ enim mox desinunt, ut lapsus temporum, phantasmata, & similia, dicuntur evanescere. Vanæ sunt omnes creaturæ, quia ex se nihil sunt, ideoque in nihilum proclives: continuâ enim declinatione devergunt, ut in suum nihilum, ex quo à Deo per creationem eductæ sunt, revolvantur. Imprimis hic respectus habetur ad affectum amantium, quem dùm eludunt creaturæ, nec satiare queunt, vanæ apparent, III. *ab adjuncto*, quod sit summa vanitas. Quod innuit *tùm* abstractum *vanitas* pro concreto positum; *tùm* quinquies repetitum nomen vanitatis; *tùm* Genitivus ejusdem radicis, *vanitas vanitatum*: ejusmodi enim locutio superlativum arguit.

USUS *Didascalicus* docet *tùm* in genere rerum omnium vanitatem, *tùm* in specie hominis, qui est veluti microcosmus, epitome & compendium vanitatum omnium, quæ per creaturas cœteras distributæ sunt. *Epanorthoticus* reprehendit eos, qui terrena amant, argumento desumto ab eorum vanitate, quæ demonstratur (α) ab eorum *exiguitate*; totus enim globus terræ comparatus cum universo mundo, vix eam habet proportionem, quam unitas habet ad myriadum undecim millia. (β) ab eorum *vilitate*: quid aurum & argentum nisi terra rubra & alba? quid purpura, byssus & margaritæ, nisi excrementa piscium, concharum & vermium? quid lautæ mensæ, nisi cadavera agnorum, vitulorum, perdicum? &c. (γ) ab eorum *insatiabilitate*: titillat creatura animum, non satiat: irritat sitim, non sedat: Quia anima creata est ad Dei imaginem, Dei est capax: unde eam, quæ Deo minor est creatura explere non potest. (δ) ab eorum *brevitate*: instar fumi evanescit omnis voluptas ex creaturis hausta, momentanea est & caduca. (ε) ab eorum *instabilita-*

te: non habent res creatæ consistentiam ullam nisi in continuo motu & fluxu. Hinc apud Paulum 1. Cor. 7. 29. *figuræ* nomen babent, quæ mera superficies est, merumque oculorum pabulum. (ζ) ab eorum *falsitate*: plena omnia sunt fuco, exteriùs insignem præ se ferentia speciem, interiùs multis molestiis doloribusque ac amaritudinibus mixta. c. 44. Similia sunt pomis Sodomæ, de quibus Solinus Polyhist. *Ad speciem*, inquit, *fulgent, mandi tamen non possunt: nam fuliginem intrinsecùs favillaceam ambitio tantùm externæ cutis cohibet, quæ vel levi pressa tactu fumum exhalat, & fatiscit in vagum pulverem.* (η) ab eorum *insensibilitate*: animum enim non pervadunt, nec penetrant, imò in se non attingunt, sed tantùm corpus sensusque afficiunt, & per eos animam obiter perstringunt. (θ) ab eorum *infidelitate*: sæpe enim spem, quam promittunt, non præstant, ut amatorem suum confundant. (ι) ab eorum *incertitudine*: quàm sunt divitiæ incertæ, quæ à fure rapi, ab incendio comburi, à mari hauriri possunt! Quàm sunt honores incerti, qui ab hominibus, eorumque voluntate pendent! (κ) ab eorum *Separabilitate*: sæpe post unum annum, mensem vel diem, semper verò in morte possessorem suum deserunt &c. *Paidevticus* hortatur, ut mundi vanitates nobiscum pensitemus: Mundi enim nosse vanitatem proxima ad ejus tædium, cœlestium verò desiderium via est. *Paracleticus* suffulcit eos, qui mundi bonis, honoribus & voluptatibus destituuntur, argumento ab eorum vanitate desumto.

DISPOSITIO V.

In

Gal. IV. v. 4. 5.

Postquam advenit completum tempus, misit Deus filium suum, natum ex muliere, subjectum legi. Ut eos qui legi erant *subjecti, redimeret, ut filiorum* - Dei - *jus* per adoptionem *acciperemus.*

Thema

Thema est Didascalicum, describens ac illustrans Mysterium Incarnationis I. *à Circumstantia temporis; postquam advenit completum tempus.* sc. quod fuerat à Deo emancipationi Ecclesiæ destinatum, & vaticiniis in V. T. (*Genes. 49. 10. Dan. 9. 25. & 26.*) definitum. Hæc igitur circumstantia describit incarnationem CHRISTI *tùm* ut ab æterno *à* Deo præviſam & determinatam; *tùm* ut in tempore per vaticinia prædictam, & typos præfiguratam: *tùm* ut veritatis divinæ ac Propheticæ documentum singulariſſimum. Si qnæras; *Cur incaruatio non sit facta statim post lapsum?* Resp. (1) quia multo ante prædici ac præfigurari tantum Mysterium oportuit, ut eo majori postmodùm veneratione exciperetur. (2) quia præparandi prius homines erant per legem, ut peccatum, iram Dei adversus peccatum & miseriam ex peccato ortam agnoscerent, antequam à Christo liberarentur. *Objic. 2. Tim. 1. 9. Apoc. 13. 8.* Resp. verba intelligenda sunt non de actu, sed de decreto.

USUS *Didascalicus* docet, Deum oportunè promissiones suas exsequi, argumento *ab eventu* promissionibus ad amussim respondente. *Epanorthoticus* corrigit eos, qui in investigandis temporum articulis nimis scrupulosi sunt, argumento *ab absurdo*: Definitionum enim divinarum terminus cui revelatus? *Paidevticus* hortatur, ut in promissionibus divinis toto acquiescamus animo, temporisque opportunitatem patienter exspectemus, argumento *ab æquo*; quia Deus verax. *Paracleticus* solatur eos, qui in cruce animo veluti dubio inter spem metumque anxii hærent, argumento *ab eventu læto*, tandem veniet promissa liberatio, tanto dulcior, quantò diutiùs exspectata. Horam crucis excipit hora lucis.

II. *à Causa efficiente principali*, quæ est Deus Pater *mittens*. Quæ *missio* amplificatur (1) *à disparatis*: (α) non est missio *Physica*. Hæc enim nihil aliud est, quàm regressus alicujus ab aliquo, in ordine ad aliquem terminum, vel locum, vel effectum, quæ inter homines fit, *vel* per imperium, *vel* per consilium, *vel* per impetum, sicut dicitur lapis vel sagitta mitti. Atq; hæc quidem missio habet admixtas plures imperfectiones, nempe mutationem rei missæ, & separationem à mittente secundum locum: Divinitas a omnis imperfectionis expers est. (β) non est missio *invisibilis*, sed visibilis, nec tn. quoad

signum visibile, qualis fuit Spiritus S. in Baptismo; sed quoad *terminum visibilem* (γ) non est *repræsentativa*, ad significandum tantùm, non ad essendum ordinata; *sed substantialis*, quia Verbum humanitati realiter ac personaliter unitum est 2. *à Definitione*: Missio filii est processio ejus à Patre ad aliquem terminum. Ubi nota, terminum missionis acquiri à misso, *vel* sic, ut anteà plane non sit habitus, quomodo mittuntur Angeli & homines: *vel* ità, ut anteà quidem sit habitus, nunc tamen novo modo haberi incipiat; Et hâc ratione mittitur filius. (ɜ) *à causâ efficiente*, quæ est *Pater*: In divinis enim propriè nulla persona mittit, nisi quæ est principium ad intrà, nulla mittitur, nisi quæ procedit. Hinc Pater propriè non mittitur, nec Spiritus S. mittit. Impropriè tamen Verbum potest dici mittere seipsum, ut loquitur Augustinus. *Vel* in sensu proximo, ut verbum, quatenus homo, intelligatur missum à seipso ut Deus est; *vel* remoto, quod Verbum efficiat effectum (sc. carnem) ratione cujus dicitur mitti. Imprimis emphaticum est verbum Græcum ἐξαπέστειλεν, quod propriè est, *emisit*, h. e. extra se & sinum suum in mundum legavit, non à se separatum, sed in se manentem; non ut ministrum, quia missus quidem assumsit carnem, at non deposuit majestatem.

lib. 2. de Trin. c. 5.

Hinc USUS *Didascalicus*, adstruens divinam Christi naturam ex termino missionis. Missio in divinis supponit processionem; processio naturam. Hinc Argumentum. *Quæcunq; Trinitatis persona mittitur à Patre, illa habet esse Patris: Atqui Filius* &c. E. &c. *Elenchticus* refutans Cerinthum, Gnosticos, Theodotianos, Paullianos, Arianos, Evnomianos, qui Christum creaturam esse statuunt: imprimis Photinianos, qui illum tum primum ortum esse volunt, cum ex Maria natus est. Argumentum: *Quisquis mittitur antequàm nascitur, is ante nativitatem suam verè existit*: (mitti enim non potest, qui non est.) *Atqui Filius* &c. E. &c. Enjedinus, ut argumenti hujus nervum infringat (α) negat Majorem, quia Deus potest & solet etiam vocare ea, quæ non sunt. E. Simul potuit filium creare & mittere. (β) dicit missionem hîc intelligendam esse, non ad incarnationem, sed postquam jam incarnatus erat, ad prædicationem. Verum Resp. ad (α) Deum in Scripturis nuspiam dici mittere, nisi ea quæ

ea quæ jam sunt. Ad (β) malè confundi missionem ipsam cum missionis exsecutione. Consequentia, *factus ex muliere*, satis evincunt, hic de missione in carnem agi. *Paidevticus* stimulans, ut amorem Dei Patris in nos agnoscamus, & laudibus deprædicemus, qui filium suum ex Majestate in humilitatem misit, ut nos ad divinam eveheremur majestatem; idque nullâ nostra dignitate motus, nullo nostro merito victus, sed ex mera gratia & misericordia, miseriæ nostræ misertus, argumento *ab æquitate*: amorem enim ut amori rependamus æquum est.

III. *à Subjecto*, quod est *Filius Dei*. Amplificatur *à disparatis*: non ratione creationis, sicut Adam *Luc. 3, 38.* nec ratione gratiosæ adoptionis, ut omnes fideles dicuntur filii? sed ratione nativitatis æternæ dicendo factæ. Si quæratur; *cur Filius potiùs, quàm Pater aut Spiritus S. incarnatus sit*? Ex patribus Athanasius & Anselmus in *Script. de incarn.* has suggerunt rationes (α) quia æquum erat, ut is, qui ab æterno Filius Dei erat, in tempore fieret filius hominis. (β) ut qui erat Filius Dei naturalis, faceret nos filios ejus adoptivos. (γ) ut per quem omnia facta sunt, per eundem omnia instaurarentur. (δ) ut qui imaginem Dei per peccatum Adami amiseramus, per veram ac substantialem Dei imaginem eam recuperaremus. (ε) ut media Persona in Trinitate Mediatrix inter Deum & hominem fieret.

Hinc USUS *Didascalicus* docens ac demonstrans I. Christum esse verum Deum, quia vocatur *Filius Dei*, nec simpliciter tantùm, sed unigenitus *Joh. 1. 14. 18.* proprius *Rom. 8. 32.* Verus *1. Joh. 21.* & tàm excellenter, ut præ eo Angeli non sint filii, sed ministri, *Heb. 1. 14.* Talis autem non potest esse adoptivus, sed naturalis, seu, ex ipsa Dei essentia genitus. II. Filium Mariæ esse Filium Dei, adeoque Christum Θεάνθρωπον & Mariam Θεότοκον. *Elenchticus* refutans I. *Sabellianos*, qui, postquam à *Praxea* & *Noëto Smyrnæo* didicerant, unam saltem esse in Deitate personam, sed trinominem, ratione diversorum munerum modò Patris, modo Filii, modò Spiritus S. nomen sortientem; ut Theodoretus refert totam Trinitatem incarnatam esse statuerunt: cùm tamen nec h. l. nec ullibi in Scriptura vel Pater, vel Spiritus, sed solus Filius dicatur incarnatus; cùm *lib. 3. de Hæret. fab.*

etiam h.l. Pater & Filius expressissimè à se invicem distinguantur ut persona mittens & missa. Si regerant; *Incarnationem esse opus ad extra, adeoque indivisum.* Resp. distinguendum esse inter naturæ humanæ productionem, cumque personæ Filii unitionem, & ejusdem naturæ assumtionem. Concedimus totam SS. Trinitatem produxisse & productam carnem univisse cum persona Λόγου, vi hujus loci, ubi Patri; & *Matth. 1. 20.* ubi Spiritui S. tribuitur. Solus autem Filius carni sibi unitæ subsistentiam suam impertitus est. Si concisiùs; largior, incarnationem quà efficientiam esse opus ad extra, adeoque tribus personis commune; ratione termini verò seu ejus ad quod actio illa terminatur, est opus ad intra & solius filii.

II. *Simonianos, Cerinthianos, Gnosticos, & Ebionitas*, qui docuerunt, alium esse Jesum, alium Christum, & Jesum quidem solius Josephi & Mariæ filium, in quem post Baptismum Christus è cœlo descenderit, referente Irenæo Epiph. Theodoreto Tertulliano Oecumenio. Quem Errorem Seculo V. incrustavit *Nestorius* Archi-Episcopus Constantinopolitanus docens; alium esse Filium Dei, alium Filium Mariæ, neque hunc sed illum verum Deum esse, ut testatur Evagrius Theodoretus. Undè nec B. virginem Θεοτόκον, *Deiparam*, sed Χριστοτόκον, *Christiparam* vocandum censuit. Verùm *h. l.* expresè is qui ex Virgine factus est, vocatur Filius Dei. Si igitur Filius Dei ex Maria natus est, sequitur relationis vi, eam Filium Dei concepisse & peperisse. *Paracletus* erigens eos quos mundus contemnit & persequitur. Filius Dei carne induitur, ut nos ipso per fidem induti filii Dei appareamus. Si filii Dei sumus, quæ major gloria? quod majus solamen?

lib. 1. c. 25. hæres. 28. n. 1
lib. 2. de fab. hæret.
l. de præscript. adversus Hæret cap. 33.
Comm. in 2. Joh. 1.
l. 7. Hist. c. 33.
lib. 1. c. 2.
lib. 4.
lib. de veland. Virg.
de fide contra Manich. c. 22.
homil. 8. in Levit.

III. *à materia*, in verbis: *Ex muliere.* Tertullianus notat vocabulum *mulieris* ad sexum ipsum, non ad gradum vel conditionem sexus pertinere, idque probat ex *Gen. 2.* ubi Eva adhuc virgo *mulier* appellatur. In quo auctorem imitatur Augustinus. Et Tertullianum imitatur Hieronymus, dum disertis verbis alicubi dicit: *Quamdiù in Paradyso fuerunt Adam & Eva, fuisse virgines.* Origenes *Si rectè dicitur vir ille*, inquit, *pro sola temporis ætate, etiam is, qui nullius admixtionem fœminæ noverit; quomodo non eâdem consequentiâ etiam*

etiam virgo, quæ intemerata permansit, pro sola ætatis maturitate mulier appelletur? Lij Ex significat, Christum ex Mariæ substantia & purissimis sanguinibus conceptum formatumque esse: quò spectat emphasis verbi γενόμενον, de quo Tertullianus adversus Marcionem: *Hoc quidem impressiùs, quod factum potius dicit quàm natum; simplicius enim enunciasset natum; factum autem dicendo, & verbum caro factum consignavit, & carnis veritatem ex Virgine factam asseveravit*, Si quæras [α] *Cur ex virgine Christus nasci voluerit?* Variæ à Patribus assignantur rationes, ut puta (1) quod decuerit creatorem non consueto, sed peregrino admirandoque uti partu. Legitur hæc Chrysost. Leonem M. Bernhardum (2) ut castitatis exemplum commendaret universis, juxtà Nazianzenum Et Ambrosium, (3) ut hunc quoque nascendi modum suæ ostenderet subjacere potentiæ: non solum faciendi hominem *vel* de viro & fœmina, uti quotidianâ experientiâ docemur; *vel* nec de viro nec de fœmina, sicut creavit Adamum? *vel* de viro sine fœmina, sicut fecit Evam: sed & de fœmina sine viro. Quæ ratio est Anshelmi (4) ut morbo responderet medela, lapsui reparatio, & quod per fœminam abierat in perditionem humanum genus, per eandem redigeretur in salutem, ut loquuntur Tertullianus & Augustinus (β) *Cur non aliunde, quàm ex Virginis utero corpus sibi formárit, postbabitis infinitæ potentiæ mille aliis modis?* Non enim facilè dixerimus, ne quidem per absolutam Dei potentiam posse omninò naturam aliquam præter humanam assumi à persona divina: quæ opinio blasphema fuit Gandavensis Pici Mirandulani & Carthusiani. Totum hoc ad εὐδοξίαν divinam referimus, cui tamen Patres has succenturiant rationes (1) ut Diabolus in ea superaretur natura, quam superarât, docente Augustino (2) ut simile sanaretur per simile, & Deus placaretur in ea natura, in qua erat offensus, juxta Anshelmum (3) ne quis esset inter homines qui non esset homo. *Ibid.*

lib. de carn. Christ. sub hom. 49. in Gen. Serm. 2. de Nativit. homil. 2. an. nunciat. Grat. 20. de laudib. Basilii. Epist. 81. ad Sirio. lib. 2. c. 8. in lib. de Carn. Christ Serm. 13. de nativ. Quod l. 13. Quæst. 5. tract. 4. Apol in 3. dist. 2. quæst. 2. lib. 13. de Trin. c. 18. lib. 2. c. 8.

Hinc USUS *Didascalicus*, demonstrans, Christum humanam naturam verè assumsisse, quia dicitur factus ex muliere. *Elenchticus* redarguens 1. eos qui Mariæ virginitatem ex voce γυναικὸς destruere volunt; argumento ab homonymia vocis desumto: γυνὴ enim non tantùm notat uxorem, sivè eam quæ primùm est desponsata

Matth. 1. 20, sivè eam quæ jam utitur cum Marito consvetudine conjugali *Luc.* 1. 5. Et etiam in genere fœminam cujuscunque ordinis aut conditionis, seu virginem, seu uxoratam, quatenus ratione sexus viro opponitur. *Act.* 8. 12. 2. *Basilidem*, qui docuit Christum non habuisse verum corpus, sed saltem corporis phantasian, seu imaginem, teste Epiphanio, Theodoreto, Tertulliano. *Valentinum*, qui, ut idem Tertullianus scribit, docuit, Christum in substantia corporis nostri non fuisse, sed spiritale, nescio quod corpus de cœlo deferentem, quasi aquam per fistulam, sic per Mariam Virginem transmeasse, nihil indè vel accipientem vel mutuantem. *Cerdonem* & *Marcionem*, qui Christum non in substantia carnis, fed phantasmate solo fuisse, pronunciârunt, referente Eodem, Theodoreto, Augustino. *Apellem*, qui Christum in ipso descensu sideream sibi carnem & aeream contexuisse docuit, referentibus iisdem. *Manetem*, qui Sec. III. Cerdonis & Marcionis dogma resuscitavit. Vid. Theodoretus & Augustinus. *Arium*, qui Sec. IV. Christum corpus sine anima assumsisse contendit, Theodoreto teste. *Apollinarem*, qui animam quidem eum unà cum corpore assumsisse concessit, sed mentis expertem, docente Augustino. Omnes hi uno conteruntur ictu, si ex præsenti loco argumenteris: *Quicunq; factus est ex Maria, ille veram & integram naturam humanam ex Maria assumsit: Atqui Filius Dei* &c. *E.* &c. *Paidevticus* stimulans ad studium humilitatis, argumento *ab exemplo Christi*: factus est is, quod fecerat, creator creatura: Spreto cœli throno elegit virginis uterum. *Paracleticus* animum addens iis, qui abjectissimæ sunt conditionis, argumento *à favore* DEI, quo abjectissimus quosque complectitur, ceu Mariæ exemplo docetur.

hæres. 24. *lib.* 1. *de Hær. fab. lib. de præscript. adverss. hæret. c.* 46. *lib. de præscript. adversus Hæret. c.* 49. *cap.* 51. *l.* 5. *lib. de hæres. ad Quodvult. Deum hæres.* 21. *loc. cit. hæres.* 46. *lib.* 4. *hæres.* 55.

IV. *à forma*, quam exhibet verbum σώμασον, notans assumtionem humanæ naturæ. Si enim factus est ex Maria Filius Dei, factus utique est id quod fuit Maria (quà Substantiam puto) *h. e.* caro humana. Hinc eundem terminum de σαρκωθέντι usurpatum invenies *Joh.* 1. 14. ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, non abolendo hypostasin τοῦ λόγου vel immutando eam in carnem; sed assumendo in suam hypostasin, & sibi uniendo carnem, ita ut jam Verbum assumens & caro assumta constituant unum ὑφιστάμενον, in omnem æternitatem non dissolvendum. Hic aliquid de assumtione humanæ naturæ dicendum,

quòd

quòd ea facta sit ἀτρέπτως *inconvertibiliter*, ἀσυγχύτως *inconfuse*, ἀναλλοιώτως *incommutabiliter*, ἀδιαιρέτως *indivisibiliter*, & ἀδιαστάτως *indistanter*. De unione dicendum, quòd ea non sit naturalis, sed singularis; [Græci quidem Patres subinde φυσικὴν appellant, verùm, non quod in Christo duæ naturæ conjunctæ sint, secundum communem naturæ cursum, sicut corpus & anima in homine; sed naturale idem illis est, quod verum & substantiale, sicut Cyrillus id explicat. Διαβεβαιῶται (ὁ Ἀναθεματισμὸς,) ἑνωθέντας κατὰ φύσιν, τοῦτ' ἔστιν, ἀληθῶς, ἀλλὰ καὶ ἀληθείαν. Et rursus: ἕνωσις φυσικὴ, τοῦτ' ἔστιν ἀληθής.) Non accidentalis, sed substantialis; nec tamen essentialis, sed personalis (Essentialis enim unio dicitur, cum duæ naturæ incompletæ in unam essentiam completam coalescunt, sicut corpus & anima rationalis in unum hominem. In Christo autem non duæ incompletæ aut imperfectæ naturæ, sed duæ completæ & perfectæ essentiæ in unam personam cöeunt.] *defens. Anathem. 3.*

USUS *Didascalicus* demonstrat (α) Christum esse θεάνθρωπον. Divinam naturam probat appellatio *Filii*; humanam verò τὸ *fieri ex muliere*. (β) duas in Christo naturas ità unitas, ut nec una in alteram conversa, nec ex utrisque una aliqua natura σύνθετος seu composita facta sit; sed utramque post unionem salvam, suisque præditam essentialibus proprietatibus substitisse. Ista enim Phraseologia Spiritus S. *factum esse ex muliere*, neutrum infert, nec mutationem nec compositionem. *Elenchticus* confundit (α) *Monophysitas*, *Acephalos*, *Severitas*, *Eutychianos* & *Monotheletas*, asserentes, per incarnationem divinitatem in carnem conversam fuisse, adeoque in Christo incarnato unam saltem naturam esse. Contrarium docet Paulus in substrato loco, ubi utriusque naturæ expressa veritas: Filii Dei carnem assumentis, & carnis ex substantia virginis assumtæ. (β) *Nestorium*, qui duas in Christo constituit personas. Hic enim Christus dicitur factus *ex* muliere, quod dicit substantiam, seu naturam, non personam. Caro non per se subsistit, sed suam habet dependentiam à Verbo, ut loquuntur Scholastici: vel ut Augustinus, adhæret personæ τῷ λόγῳ; vel, ut alibi ait, geritur & sustentatur à filio Dei. Si objicias 1. definitionem personæ, quam Boethius tradit *Perso-* *in Psalm 63. lib. de duab. nat. Christ. c. 2.*

lib. 3. dist. 5. quæst. 2. *Persona est individua substantia rationalis naturæ.* Christus assumsit individuam substantiam &c. E. &c. Resp. (1) ex ipso Bonaventura Individuum in notificatione personæ triplicem importare distinctionem, singularitatis, incommutabilitatis, & super eminentis dignitatis: *Singularitatis*, ubi aliquid non est commune ad plura, sed de uno solo dicitur; *incommutabilitatis*, quando aliquid non est alicujus pars, seu veniens in compositionem tertii; [pes vel manus hominis propriè non dicitur individuum,] *Supereminentis dignitatis*, quæ accipitur à digniore proprietate. Nomen autem Personæ sumtum à dignioribus, non reperitur nisi in individuo nobilissimæ Creaturæ, utputa rationalis, & ratione suæ nobilissimæ proprietatis: humana verò in Christo natura ordinata est ad nobiliorem proprietatem τῦ λόγυ, adeoque non habet supereminentem dignitatem. (2) Sed rectiùs hæc personæ definitio rejicitur, quia multis modis peccat, c. 19. §. 317. ut demonstravimus in nostra Theolog. Scholast. Nos substituimus hanc: *Persona est naturæ intellectualis incommunicabilis subsistentia.* (h. e. non in alio sustentata, nec ad aliud dependentiam habens, sed per se subsistens) 2. Esse personam pertinet ad nobilitatem: sed nobilior est natura humana Christi, quàm cujuslibet alterius hominis: E. habet propriam personalitatem. Resp. nobilius est suppositari in persona increata, qvàm in se. Quocirca naturæ humanæ nobilius fuit personari in Verbo, quàm in seipsa. 3. Anima rationalis unita carni constituit personam. E. qui assumsit animam rationalem cum carne unitam, assumsit personam. Resp. 1. Conceditur, quando anima & caro non uniuntur digniori. 2. disting. inter eum qui subsistit, & ea in quibus subsistit: anima & corpus non sunt persona subsistens, sed homo ex utroque compositus. 4. Persona non gignit nisi personam. Atqui Maria &c. E. Resp. Genuit Maria personam τὸν λόγον, sed secundùm carnem, quam ipse λόγος creavit, & creando assumsit, non extra suam personam, sed in sua persona, factusque est illi ἕνωσις. *Paidevticus* vult, ut studeamus uniri Deo, quia is voluit nobiscum uniri in carne nostra. *Epanorthoticus* reprehendit eos, qui amando mundum mundo uniuntur, eum deserentes, qui tenerrimi sui in nos amoris characterem unione personali expressit, *Paracleticus* suffulcit quos-

vis

vis tentatos & afflictos, argumento à præsentia & solatio uniticum illis Dei desumto.

V. *à fine*, qui est *Redemptio.*

Hinc USUS *Didascalicus*, demonstrans incarnationis Christi necessitatem. Ad redemtionem nostram requirebatur satisfactio, ad satisfactionem passio, ad passionem incarnatio. Nec enim Deus nisi in carne pati potest. Dices; *Potuit Deus simpliciter & sine omni satisfactione nobis peccata nostra condonare.* Resp 1. Quædam quæ absolutè Deo sunt possibilia, hypotheticè redduntur impossibilia, posito jam decreto in contrarium. 2. imò verò absolutè Deo impossibilia sunt, quæ ut ab ipso fiant, natura ejus sancta, justa, verax &c. non permittit. Atqué sic nec potest peccatorem sine satisfactione impunitum dimitttere, quia id est, *tùm* contra ipsius justitiam, quæ necessario exigit luitionem pœnæ, sive illa sufferatur ab ipso transgressore, quod fit in ordinariis judiciorum processibus; sivè per temperamentum misericordiæ pœna transferatur in sponsorem peccatoris, quod est extraordinarium & fit ex gratia: *tùm* contra ejus veritatem, disertè enim dixerat, moriturum Adamum, si fructum vetitum gustasset. *Elenchticus*, refutans tùm *Petrum Abailardum*, qui Christum miseriæ nostræ causâ, ut redimeret homines à servitute peccati & Diaboli potestate, in mundum venisse negavit, teste Bernhardo, quem errorem etiam Basso tribuit Philastrius Episcopus & Pelagianis quibusdam Cassianus: tùm *Scholasticos* nonnullos contendentes, Christum venturum fuisse in hunc mundum, carne tamen impassibili, licet homo non peccasset. Quos inter sunt Alexander Alensis, Albertus Magnus, Scotus, Rupertus Abbas, quibus contradixêre Thomas Aquinas, Bonaventura, Thomas Argentinas Dionysius Carthusianus, Marsilius, Capreolus, Ferrariensis, Paulus hoc loco & Scriptura alibi solam nostram redemptionem causam incarnationis Filii Dei facit. Addi potest consensus antiquorum Ecclesiæ Doctorum, Irenæi, Athanasii, Nazianzeni, Origenis, Ambrosii, Augustini, Leonis Magni, Gregorii Magni.

Epist. 190. in Catalog. Hæretic. lib. 1. de Incarnat. c. 3. p. 3. q. 2. m. 13. in 3. sent. distinct. 20. art. 4. ibid, distinct 7. quæst. 3. l. 3. de Trin. c. 20.

P Ipsum

part. 3. quæst. 1. Art. 4. 3. Sent dist. 1. Art. 2. qu. 1. ibid. q. 1. art. quæst. 2. quæst. 1. art. 3. quæst. Unic. lib. 4. cont. Gent. c. 51. lib. 5. c. 14. Serm. 3. contra Arian. Orat. 36. Hom. 24. in num. lib. de in carn. Dom. Sacr. c. 6. Serm. 8. de verbis Apost. Serm. 3. de Pentec. l. 4. c. 1. in I. Reg.

Ipsum *Redemptionis* beneficium illustratur 1. *à subjecto*, quod sunt ἀπὸ νόμου scil. ὄντες. Per *Legem* autem intelligitur, non tantùm cerεmonialis & forensis, sub quâ erant Judæi; sed etiam moralis, quæ omnibus in Adamo lata, & quâ omnes post lapsum homines obligamur (1) *ad pœnam*, quatenus maledicit omnibus transgressoribus. *Deut. 27. 26. Gal. 3. 10. 2. Cor. 3. 7.* (2.) *ad perfectam obœdientiam*, siquidem ex lege salvari velimus. *Luc. 10. 28. Gal. 3. 12.* Hanc enim, licet nobis post lapsum impossibilem, Deus nihilominus in lege sua exigit, quia lex est immota regula Justitiæ divinæ, neque fieri potest, ut creatura non teneatur lege creatoris, aut homo salvetur, qui non justus coràm eo habeatur. Atque hic considerandus duplex legis rigor: primus in *quantitate* obœdientiæ postulatæ spectatur, quoad omnes partes & gradus semper exactissimæ: requiritur enim ut quis versetur non in aliquibus, sed in omnibus præceptis, neque aliquo tantùm modo, sed ex tota anima, ex cunctis viribus & tota mente, nec aliquamdiu tantum, sed semper, ut immaneat in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis. *Lev. 19. 18. Matth. 22. 37. Gal. 3. 10.* Alter rigor est in *modo exigendi*, quia homines minaciter tanquam servos cogit ad obœdientiam, & propter illius defectum ad pœnas deposcit *Esai. 9. 4.*

USUS *Didascalicus* (1) docens omnes homines lege teneri, vel quoad obœdientiam perfectam, vel quà reatum mortis ex obœdientiæ defectu aut vitio contractum. (2.) exaggerans miseriam hominum sub lege, veluti onere quodam ὑποβαστικῷ, pressorum. Emphatica enim est particula ὑπὸ, subjacentiam quandam inferens, quà veluti subditi sumus legi, ceu immiti Tyranno, vel quà sub onere fatigati succumbimus. *Elenchticus* stringens Calvinianos, universalitatem meriti Christi negantes, non quidem quasi pretium, quod Christus pro nobis solvit, tanti non sit valoris, ut ad expianda peccata totius generis humani abunde sufficiat; sed quod illud, pro omnibus & singulis hominibus ex decreto, voluntate & gratia Dei patris solutum non sit. Ità Beza, Zanchius, Piscator. Verùm ex Paulo licet ejusmodi in illos torquere telum: *Quicunque sunt sub lege, ii ex decreto Dei redimendi erant per Christum. Atqui omnes & singuli mortalium &c.* E. Major est Pauli, expressime docentis, Filium à Patre missum (missio autem supponit decretum) ut illos redimeret,

Resp. ad Colloq. Mompelgard. in Miscellaneis. contra Schafmannum th. 109.

ret, qui erant sub lege. Minorem autem non facile negabunt Calviniani.

II. à *termino à quo*, qui est *Lex.*

Usus *Didascalicus*, docens Christianos esse liberos à lege, quoad pœnæ luitionem, & debitum perfectæ obœdientiæ. *Elenchticus* refutans Pontificios, statuentes (α) renatos posse & debere implere leoem. E. nec à Christo redempti, nec redemptione illâ eguerunt. Si *dicas*; vim implendi legem esse ex merito Christi. Resp. impletionem legis, quæ ex merito Christi in nobis datur, geminam esse, alteram *absolutè perfectam*, alteram *secundùm quid*. Absolutè perfecta est imputata, *h. e.* ipsa legis impletio à Christo peracta, nobis autem per fidem applicata. Atque hic *Objectum* imputationis est quidem ipsa, quam lex à nobis requirebat, justitia, sed aliena & gratis imputata. *Modus* verò *habendi* illam justitiam non est *legalis*, (Lex enim requirit Justitiam inhærentem & propriam,) sed *Evangelicus*; *Medium applicandi* est *Fides*, in actu apprehensionis fiducialis considerata χειλικῶς, non quoad ipsum apprehensionis ἔργον, sed objectum. Impletio secundùm quid fit per inhærentem justitiam, ast imperfectam. Quamvis enim Christus nobis meruerit, ut imago Dei perfectè in nobis instauretur, &, sic omnibus numeris absoluta justitia nobis etiam in hæreat; tamen homo non fit in hâc vitâ, ubi non nisi dominium & reatus; sed in alterâ vitâ, ubi ipsa peccati radix auffertur. His observatis, concedimus quidem legis impletionem secundùm quid esse possibilem, at non consummatam illam, quam rigor legis requirit. (β) Lutheri, Lutheranorumque de libertate à lege doctrinam, asylum esse malitiæ, profanam & impiam, omneque bonorum operum studium penitùs evellere. Verùm injuriam faciunt (1) *Luthero*: Ita enim ipse scribit: *Libertas Evangelica est Libertas conscientiæ, quâ solvitur Conscientia ab operibus, non ut nulla faciat, sed ut nullus confidat.* Item: *Pia Conscientia libera est ab omnibus operibus, non quidem faciendis, sed accusantibus & defendentibus.* Ita ipse Bellarminus Lutheri verba citat, & nolens volens exculpare cogitur. (2) *Lutheranis.* Hi enim ad unum omnes docent, Legem renatis non tantùm præscribere normam vivendi, sed etiam ob oculos ponere pravæ concupiscentiæ vitiosas suggestiones, cum quibus per gratiam Spiritus S. illis est luctandum; adeoq;

in lib. de votis Monastic.

lib. 4. de Justific. c. 5.

renatos non tantum non ab obœdientiâ, sed nec ab' accusatione legis penitus esse liberos. Sicut enim liberi quidem sunt à reatu peccati remissi, non autem ab omni inhærentiâ peccati; ita liberi quidem sunt ab accusatione legis, quoad sustinendam pœnam peccati in justificatione remissi, non tamen quoad illa accusatio facit ad corruptionis innatæ sensum. *Paidevticus* impellens ad libertatem hanc & agnoscendam & tuendam. *Epanorthoticus* castigans eos, qui doctrinâ hâc dulcissimi solatii plenâ abusi, ex libertate Spiritus licentiam faciunt carnis. In regno nati sumus, Deo parere libertas est. *Paracleticus* erigens eos, qui propriam agnoscentes infirmitatem, legis & maledictione, & rigore exactissimo terrentur: Argumento *à Christi redemtione* desumto.

III. *à termino ad quem*, qui insinuatur in verbis; *ut adoptionem acciperemus*. Adoptio autem non uno modo dicitur, sed vel *in se & formaliter*, vel *effectivè* usurpatur. *Formaliter* est hominis per fidem coràm Deo justificati in filium ejus acceptatio gratuita ad hæreditandum bona Spiritualia & æterna. *Joh. 1. 12. Eph. 1. 5. Effectivè* dicitur ratione *tùm* signorum, *1. Cor. 6. 19 Matth. 5. 44. 45. 48 tùm* privilegiorum, inter quæ præcipuum est corporum futura incorruptio ac resurrectio ad vitam æternam, & ipsa cœlestis hæreditatis possessio *Rom. 8. 17. Apoc. 21. 7.* Hoc loco passivè accepta adoptio notat eam renatorum dignitatem, quâ illis confertur jus ad vitam æternam: jus, inquam; possessionem enim ac fruitionem plenam adhuc ingemiscendo expectamus. *Rom. 8. 1. Joh. 3. 2.* Quæritur; *An credentes in V. T. non fuerint filii Dei?* Resp. omnino. Nam jam antè eos *hæredes* nominavit Paulus. Verum (α) sub lege existens non habuerunt statum filiorum, sed servorum. (β) bona hæreditatis cœlestis habuerunt non nisi in multis typorum ambagibus, & sacrificiorum obscuritatibus.

USUS *Didascalicus* (1) describens adoptionem spiritualem *à disparato*, nempè adoptione terrestri. *Primum discrimen* oritur *ex diverso modo accipiendi* hæreditatem: In terrena hæreditate filius adoptivus *succedit* adoptatori: in cœlesti *accedit* ad Patrem cœlestem. *Alterum discrimen* oritur *à causa impulsiva* adoptionis utriusque: terrenæ hæreditatis jus per adoptionem confertur alteri, in filium acceptio, *ob defectum filii naturalis*; Cœlestis autem hæreditatis jus donatur

natur nobis *ex mera misericordia*, quâ reddimur cohæredes filii naturalis. *Rom. 8. 27. 29. Heb. 12. Tertium discrimen* desumitur *à diversitate adoptatorium*: Terrena hæreditas per adoptionem obtingere potest etiam *indigno*; cœlestis non nisi credentibus & per Justificationem priùs *digno* æstimatis. *Joh. 1. 12.* & *h. l.* Porrò adoptio terrena & Cœlestis in hoc quidem conveniunt, quod utraque vel sub conditione obedientiæ, vel ex mera gratia conferat jus hæreditatis. Nam *antè lapsum*, inquit Höffnerus *Adamus fuit Dei filius, non per creationem tantùm, sed etiam ex fœderali dispositione, quâ adoptatus sub conditione perfectæ obedientiæ Legi Dei præstandæ, additâ simul præmii, propter istam obedientiam ex pacto legali conferendi, & pœnæ, si non obediret, denunciatione, ut sit homo magis ad obedientiam excitaretur. Quod si Adamus eam obediantiam præstitisset, vitæ æternæ hæreditatem adiisset, ut obedientiæ præstitæ mercedem propriè dictam*, seu *ex debito* Rom. 4. *ex conventione, puto, & promissione legali, non ex vi & naturâ operum ipsorum: sola enim Christi obedientia suâ dignitate & vi sic est meritoria salutis nobis acquisitæ, & causa impulsiva, quæ movet Deum ut nos salvet.* Post lapsum adoptio illa conditionata non amplius locum habet, ob nostram ad implendam legem ἀδυναμίαν *Rom. 8. 2.* Ideoque vitæ æternæ hæreditas, quæ credentibus in Christum obtingit, est merè gratuita. Ipsa quidem adoptio gratuita etiam suo modo conditionata est, ac fit interventu fœderalis conventionis, si homo, qui adoptari vult, credat: tamen illa conditio adoptionis, quæ requiritur juxtà pactum Evangelicum, diversissima est à conditione pacti legalis, quia fides, per quam gratis confertur jus hæreditatis cœlestis, non spectatur ut opus, sed ut organum apprehendendi Christi justitiam, ceu causam verè justificam. (2) Demonstrans adoptionem cœlestem obtingere ex solo Christi merito per fidem. Connectuntur enim hoc loco redemtio Christi, & adoptio credentium. (3) Ostendens credentium dignitatem ex adoptione hâc. Quid dignius, quàm Dei esse filium & hæredem! *Elenchticus* refutans *Pontificios* docentes charitatem & non solam fidem adoptionis cœlestis causam formalem esse. Vid. Cornelius à Lapide & Maldonatus. Confundunt hi homines γνωρίσματα adoptionis, quibus describuntur filii Dei à posteriori, cum ipsa forma, quâ adoptio constituitur in esse suo. A-

Disput. X. de Justific. Aph. 6. §. 22. 23. 24.

in Osee 1. 10. & 2. Petr. 1. 4. in Joh. 1. 12. num. 416.

doptio hic à Paulo commendatur ut redemtionis fructus: redemtio autem non applicata per charitatem notificatur. *Paidevticus* admonens ut dignè vivamus adoptione nostrâ, in filiali reverentia, amore, timore & obedientia; argumento *abhoneſto*, & *futuro præmio* hæreditatis cœlestis &c. *Epanorthoticus* revocans impios à via iniquitatis, proposito periculo, quia per operam mala jus hæreditatis cœlestis amittitur. *Paracleticus* solatium præbens quibuscunque afflictis, argumento *à paterno Dei in nos affectu*: paupertate premeris? patrem habes ditissimum, cujus est terra & omnis plenitudo ejus? peccasti? revertere ad Patrem tuum, confitere ipsi; *Pater peccavi*, & facillimè tecum rediturus est in gratiam. Perpende parabolam de filio prodigo *Luc.* 15. Per mortem vitâ privaris? Patrem habes vitæ autorem, hic tibi ex thesauro suo æternam vitam largietur. Omnia adversa velut agmine facto in te irruunt? gaude sperando cœlestem illam hæreditatem, cujus jus tibi per adoptionem ex gratiâ obtigit, cujus prægustum quendam habes in cruce &c.

IV. *à forma*, expressâ verbo ἐξαγορά͂σῃ, ejusmodi vendicationem notante, quæ fit soluto pretio, quale in redemptione nostra fuit sanguis filii Dei.

USUS *Didascalicus* demonstrat [α] passionem Christi verè fuisse satisfactoriam, quia pretii commutatione facta, & quidem æquivalentis [β] Humanum genus non nisi à persona divina potuisse redimi, quia infinitum debitum exigit infiniti valoris λύτρον. (γ) redemptionem generis humani & pretiosam esse, & divini amoris luculentum testimonium, quia sanguine Dei facta. *Elenchticus* refutat *Arium*, *Petrum Abailardum* & novos *Photinianos*, *s. Socinianos*, qui Christum Redemptorem nostrum esse statuunt, non quod pro nobis satisfecerit, sed tantum quòd salutis æternæ viam nobis annunciârit, confirmârit, & in sua ipsius persona cum vitæ exemplo, tum ex mortuis resurgendo manifestè ostenderit, vitamq; æternam nobis ei fidem habentibus daturus ipse sit. Videantur de Abailardo Bernhardus & Socinus, Catechesis, Racovienſis, Ostorodus. Falsitatem hujus sententiæ, præter infinita alia, vis & emphasis verbi ἐξαγορά͂ζω demonstrat. *Paidevticus* hortatur, ut Christo in justitia & sanctitate serviamus. Quia enim Christus emtionis jure noster Dominus est,

Epist. 190. Disput. de Christ. Serv. part. 1. c. 1. nit de Proph. Christ. munere c. 8. inflit. Germ. 37.

est, æquissimum est, ut non nostro sed ipsius arbitrio vivamus. *Epanorthoticus* à peccandi studio dehortatur, argumento *ab iniquo*: Iniquum est, ut ei iterum nos dedamus Tyranno, à quo per Christum non sine sanguine redemti sumus: Iniquum est, ut Redemtorem nostrum offendamus. *Paracleticus*, imprimis iis, qui ob magnitudinem & multitudinem peccatorum tristantur, solatium exhibet, deprædicato valore ac virtute sanguinis JESU CHRISTI.

V. *à medio*, quod est existentia sub lege: *Factus sub Lege.* Factus dicitur esse sub lege in carne, s. humana natura, non *obligatione* quia humana ejus natura subsistit in persona Filii Dei, qui est Legis conditor.) sed *observatione* spontaneâ. *Factum* igitur appositè dixit Paulus, ut res *facti* intelligatnr, non *juris*. Quomodo autem Christus factus sit sub lege, tunc demum intelliges, quando quotuplex legis sit officium, didiceris (α) lex exigit externam & civilem obedientiam. Hanc Christus præstitit, quando circumcisus, in templo oblatus est, & sabbathum observavit. (β) exigit veram & perfectam obœdientiam in omnibus mandatis Dei, quorum summa in dilectione Dei & proximi includitur. Et hanc Christus perfectissimè implevit. (γ) multis modis maledicit. Omnibus hisce maledictionibus, V. G. fami, frigori, paupertati etiam Christus sese sponte subjecit. (δ) Accusat & perterrefacit peccatores, ostensâ illis magnitudine peccati, & irâ Dei. Quanto verò terrore Christus perculsus est, cum sanguinem sudavit, & ab Angelo corroborari opus habuit! (ε) Occidit & maledicit. Christus cruci affixus maledictio factus est *Gal. 3. 13.* & in cruce Spiritum emisit.

USUS *Didascalicus* demonstrat (1) Christum Mediatorem nostrum esse secundùm utramque naturam. Ut homo subjectus est legi; ut Deus implevit legem: ut homo mortuus est; sed à Deitate mors illa nacta est vim satisfactoriam & meritoriam. (2) Christum non sola morte seu obedientiâ passivâ, sed & activâ, obedientiâ sc. legi præstitâ, nos redemisse. Utrumq; enim τὸ ὑπὲρ importat. Si solam obedientiam passivam pro nobis præstitisset, ex parte solvisset legem, quia illa obedientia passiva esset partialis, tantùm, eò quòd Lex non tantùm exigit pœnam à transgressoribus, sed & observantiam præceptorum. *Elenchticus* perstringit (α) *Piscatorem* cum

cum assectis suis, qui Christum tantum ratione maledictionis & reatus sub lege factum esse volunt. Sed; *Quomodo nos sub lege eramus, eo modo quoque Christus hîc sub lege factus esse dicitur*, quia propter nos factus est sub lege. *Atqui non tantùm ratione reatûs, sed etiam obedientiæ &c.* (β) *Bellarminum* statuentem, justitiam quidem satisfactionis Christi nobis imputari, non autem justitiam sanctitatis. Verum ex Pauli loco in contrarium argumentamur: *Quicquid Christus secundùm legem præstitit, id pro nobis præstitit, ut nobis imputaretur. Atqui totam obedientiam tàm activam, quàm passivam &c. E. &c.* Item; *Quem lex nec quoad pœnam, nec quoad obedientiam obligat, is legi per se non est subjectus. Atqui Christum &c.* (personæ enim infinitæ non ponitur lex) *E. &c.* Item; *Dominus legis pro se non est servus legis. At CHRISTUS &c. Matth. 12. 8. E. &c. Paidevticus* vitam CHRISTI ut compendium legis practicum, & amoris, ergà Deum & proximum, speculum clarissimum ad imitationem nobis sistit ob oculos. *Epanorthoticus* reprehendit eos, qui legi divinæ obedientiam se nullam debere, sed quodlibet licere sibi existimantes in omnia vitiorum genera præcipites ruunt: argumento *à contrario Christi exemplo*, qui nobis etiam ad imitationem sub lege factus est. *Paracleticus* solatur eos, quos legis maledictio & rigor terret, argumento *à Christi redemtione* & satisfactione ducto

DISPOSITIO VI.

In

Exordium Orationis Dominicæ.

Exordium Orationis Dominicæ continetur his verbis;

Pater noster, qui es in cœlis:

Quibus, Deum allocuturi, veluti captamus benevolentiam. Absolvitur Orationis tum *subjecto*, in voce nostri; tum *objecto*, quod est Deus, qui laudatur partim à *bonitate*, in voce *Patru*, quia à vilissimis vermiculis dignatur Pater appellari; partim à *potentiâ* & *excellentiâ*, cum addimus; *qui es in cœlis*. Notat enim hîc vox *cœli* non majesta-

majestatem finitam & creatam, qualiter Angeli dicuntur esse in cœlis *Matth.* 18, 20. Sed infinitam & increatam, quæ respectu majestatis finitæ, seu cœli beatorum, dicitur supercœlestis *Ps. 8. v. 2.* & ità solus Deus dicitur esse in cœlis *Psalm. 103. v. 9.*

Respiciunt hæc verba tùm *Deum*, tùm *nos ipsos*, tùm *proximum*. Deo sistunt causas, quibus moveri debet ad exauditionem precum nostrarum, *altera* est in voce *Patris*, nempe benevola Dei voluntas, quâ vult à nobis invocari, & exauditionem promisit: *altera* in voce *cœli*, nempè potentia Dei, seu facultas juvandi, longe suprà, quàm intelligimus. In *nobis* excitant verba hæc 1. *dolorem*; Vox *patris* quidem, quia haut, ut filios decet, coràm ipso ambulavimus Vox *Cœli*, quia monet nos peregrinationis terrenæ. 2. *gaudium*; Vox *patris* quidem, qnia monet nos adoptionis divinæ; vox *Cœli*, quia gustulum quendam exhibet futuræ gloriæ. 3. *Amorem*; Vox *Patris* de affectu Dei paterno ergà nos testatur, amor vero amorem, ceu ignis ignem, accendit: Vox *cœli* excellentiam signat: bonum autem quo excellentius, eò amabilius. 4. *Odium* ac *pudorem*. Si *Pater* noster Deus est, odio nostro ipsi digni sumus, quod vix ut mancipia, nedum ut filii hunc Patrem amaverimus. Si Patrem habemus in *cœlo*, pudeat utiq; animum terræ & rebus terrenis affixisse. 5. *Fiduciam*; Si *Pater* noster, quid non ab ipso audemus petere, quid non sperare? Pater nullus denegat filiis quod justè postulant. Si summus *cœli* rector, quæcunque voluerit, poterit facere. 6. *Timorem*: Si *Pater*, E. sine peccandi affectu oremus, alioquin quomodo eum invocabimus ut Patrem? si in *Cœlis*, E cum timore ac tremore à terris abducamus mentem, & supernis affigamus sedibus; valido cordis clamore opus est ut audiamur in cœlis, de profundis orantes. 7. *Precandi ardens desiderium*; quid dulcius Filiis, quàm si cum *Patre* contingat frequentius loqui? & quia adhuc peregrinamur in terris, auxilio *cœlesti* quàm maximè indigemus. 8. *Patientiam in orando*; quia *Pater*, subindè tentat filios, ut suspiria acuat & lacrymas eliciat, ac non dat, nisi quæ & quando saluti novit esse salutaria; quia in *Cœlis*, proh! quanta inter cælum & terram distantia. Pronomen NOSTER includit *proximum* & vult, ut etiam pro aliis oremus, quò oratio nostra sit utilior; utilior enim est illa arbor, quæ multis, quàm quæ uni fert fructum. Movet hoc ipsum

Pronomen in nobis *affectum amoris* erga *proximum*; pater enim nobis omnibus unus est, & quanta conjunctio fratrum? Sedat in divitibus & nobilibus affectum Superbiæ contra pauperes & ignobiles: nullus Imperator verè ac piè dicere potest, *Pater noster*, nisi vel miserrimum Lazarum fratrem suum agnoscat: & unum nobis omnibus est *Cœlum*.

USUS *Didascalicus*, describit & demonstrat Orationis Christianæ *tùm* objectum, quod est Deus, argumento *à natura Dei* desumto, quia solus est omnipræsens, omnipotens, ac per naturam bonus: *tùm* modum, qui consistit partim in præparatione digna, quâ animus orantis elevatur à terrestribus ad cœlestia; partim in fiducia & charitate animi sic præparati. *Paidevticus* hortatur ad studium precum, argumento *tùm à mandato Christi*, quia ipse Orationis hanc formulam nobis dictavit; *tùm à necessitate*, quia peregrini sumus, & ope cœli indigemus; *tùm ab honestate* seu gaudio Dei, quia Deus delectatur precibus nostris, sicut pater Abba filii; *tùm abutilitate*, quia cœlestes nos facit Oratio: quanto enim frequentiùs cum Deo conversamur, tantò magis Deo assimilamur; *tùm à facilitate*; quia enim Deus in cœlo, terra, & ubique præsens est, suspirantis cordis desideria percipit, nec clamore oris valido indigemus; *tùm ab incommodo*, quod oritur ex neglectu precum, quia in hâc peregrinatione facilè succumbimus, & quantò remotiores à cœlis, tantò terræ reddimur viciniores. *Epanorthoticus* castigat eos, [1] qui planè non orant, argumentis generi Paidevtico contrariis. [2] qui orant, sed sine fiduciâ, argumento *tùm ab indecoro*, quia non decet filios sine fiducia filiali ad Patrem accedere; *tùm ab injucundo*, quia ejusmodi oratio Deo non placet; *tùm ab inutili*, quia nullus indè fructus exspectandus: diffidentia enim velut tinea omne orationis robur absumit. (3) qui orant, sed in irâ & odio, argumento *ab absurdo*: quomodo Patrem Deum nobinabit, qui in filium ejus sævit? (4) qui orant, sed terrenis cogitationibus oppleti: quid è cœlo sperabunt, qui terram sectantur? & quomodo in cœlum elevabunt mentem, quam terræ affixam habent? Impossibile est, ut cœlestia quæ petuntur dona infundantur, nisi terra antea sit effusa. *Paracleticus* erigit eos, qui fiduciæ vix scintillulam in oratione suâ sentiunt; non enim sentitur semper quæ tamen habetur fiducia,

nec

nec semper robusta arbor est, sed sæpe granum Sinapis. Quia Pater Deus est, ideo vel Abba sufficit. Interim dulcissimarum promissionum oleum affundendum est scintillulæ, ut inflammetur, orandus Dominus ut suffulciat & consolidet infirmam fidem.

DISPOSITIO VII.

In

Psalmum. VI.

Psalmus VI. constat *duabus partibus*, alterâ *votivâ*, *altera objurgatoriâ*. *Votiva* est bimembris, & absoivitur partim *deprecatione malorum*, partim *flagitatione bonorum*. In primo continetur *deprecatio*, ejusque exprimitur. (1) *Objectum*, in quod illa dirigitur, *Jehovah*. Quæ vox notat Essentiam â nullo alio essentiatam, & omnia essentiantem, suis quoque promissionibus esse reale tribuentem. Hoc loco non est sine energia, quasi dicat David: Nomen illud tuum admirabile יהוה me monet, ut aguoscam, quis sis. Nihil esse, quod non à te habeat esse suum, te solùm indepenter ab alio, in teipso possidere, unde aliis omnibus suppedites, quod sunt. Extra te, nihil esse sine te, & quæcunque sunt præter te, per se nihil esse posse. Te solum æternum verum Deum, immutabilem & constantem in teipso; cujus veritas est invariabilis, cujus promissa factis ipsis adæquantur: qui cùm in te sit Jehovah, etiam cognitione experientiæ per impletionem promissionum Patribus datarum, imprimis postquàm te exhibuisti in Messia nostro, nobis ut Jehovah innotuisti: Hæc nominis tui manifestatio tanta me erigit; in qua nihil video præter veritatem tuam in misericordia tua declaranda. (2) *Subjectum*, seu *materia*, in duabus vocibus emphaticis, quarum prima notat *arguitionem*, & usurpatur de iis, qui in judiciis disceptant, seque invicem argumentis certis convincunt. Deprecatur E. hoc verbo David partim *strictum jus*, quod Deus secundùm rigorem Justitiæ suæ exercet per legem, & propriæ conscientiæ elenchum terribilem; partim *imputationem reatus*. Altera vox dicit *punitionem*, quæ fit *vel* verbis, *vel* verberibus, *vel* vinculis. Deprecatur E. David *Justitiam Dei vindicatricem*. (3) Subjecti *causa efficiens*, quæ est *furor* & *ira*. *Furor* dicit condemnationem peccati & peccatoris: *Ira* verò vindicationem Ira humanitùs concepta in Deum non cadit, qui ab omni perturbatione liber

nullis affectibus indulget, nullo dolore afficitur. Est tamen etiam in viris piis & sapientibus ira quædam, quæ non menti eorum ut Domina præit, sed post rationis tergum, ut ancilla rationi subnixius famulatur; quâ non ut duce, sed ut milite utimur. Talis ira in affectu bene compositio esse potest, quùm nihil aliud sit quàm voluntas malefactum aliquod vindicandi aut puniendi; propriè non est passio, neque est in potentiâ, quam irascibilem appellant, sed in facultate superiore, sc voluntate, quomodo in Deo etiam iram agnoscimus, (quando quidem etiam vocabula nostra nobis indulget benignè, dum de ipso balbutimus) quæ non est in eo perturbatio animi, sed judicium, quo irrogatur pœna peccatis, seu puniendi voluntas, quâ non potest carere justus Judex. Cœterum, quod rectè monet Hieronymus, non ipsam pœnam, sed pœnæ gravitatem deprecatur David, non Judicium, sed judicii severitatem. Petit ut cum modo & mensura, non pro meritis, sed mediocritate servatâ, Deus agat secum leniter & indulgenter. Conf. *Jer.* 10. 24. c. 46. 28. In secundo membro David à *throno iræ* appellat ad *thronũ gratiæ divinæ*, & flagitat judicari, non secundùm strictum legis rigorem; sed æquitatem Evangelicam. *Materia* petitionis est duplex. (α) *Sensus gratiæ divinæ*: *Gratiam mihi fac.* Nervus in voto Davidico hîc est: Ah, Domine, tu misericordiæ magis indulgens es, quàm severitatis tenax, vindictæ gladium misericordiæ oleo semper inungens. Oleum illud à te peto, quo plagas meas illinas. *Gratiam mihi fac.* Termino *gratiæ* justificationem suam facit non saltem *gratiosam*, sed & *gratuitam*, ut quæ sibi conferatur, non tantùm indigno, & longè aliud merito; sed etiam sine qvocunq; operis interventu, sive illud meriti, sive dispositionis, sivè adminiculi, sivè organi justitiam operantis, sivè causæ formalis nomen nanciscatur. *Gratia* excludit 1. *causam acquirentem.* Hinc חנם opponitur *tùm* pretio *Gen* 29. 15. *tùm* merito, 1. *Sam.* 16. 5. 2. *causam & dignitatem* quamcunq; in eo, cui exhibetur *Prov.* 24. 28. *Gal.* 2. *v. ult. Psalm.* 35. *v.* 19. Includit tamen justitiam Christi, *tùm* ut causam meritoriam, *Esa.* 53. *v.* 11. *Rom.* 3. *v.* 25. *tùm* ut causam impulsivam talem, quâ Deus movetur, ut actu ipso justificet credentes, quatenus Filius Dei obedientiam hanc suam, fide credentium apprehensam, Deo Patri in cœlis præsentat, cum intercessione pro nobis, quæ peracti à se Sacrifi-

crificii virtute nititur. *Heb. 9. v. 24. 1. Joh. 2, 1.* Illustratur illa gratia *tùm ab effectu*, qui est *sanitas animæ*; tum *à causa impulsivâ externâ*, quæ est *infirmitas*, s. peccati reatus agnitus: & hic amplificatur *ab effectu gemino*: primus est *consternatio totius corporis*: *ossa* enim per Synechd. memb. significant totum corpus, ut notat R. Kinchi, *tùm* quià sunt quasi basis totius molis corporeæ, & membra sustinent; *tùm* quia dolor corporis ad ossa cito penetrant. Nam ex regressu Spirituum imbecillitas nervorum motivorum oritur, gelidusque per ima tremor ossa currit: *Tùm* quia ossa in se continent medullam, quæ ex pingui & oleoso humore generatur & humectat ossa, ne continuâ corporis agitatione nimis vel exarescant, vel incalescant. In mœstitia autem, ossium medulla veluti à teredine absumtâ, fit ut substantia ossium non habeat quo humectetur, & tandem humido radicali evanescente, penitùs exarescant. *Conturbata sunt ossa mea*, h. e. corporis totius constitutio turbata est, nulla pars officio suo ritè fungitur. Caput gravatur; pectus anhelat; cor palpitat; colliduntur genua; pedes sub pondere fatiscunt: structura tota concutitur, & ruinam minatur, nisi manum supponas. Secundus effectus agniti peccati & miseriæ ex peccato oriundæ est *consternatio animæ* ac metus iræ divinæ cum passionibus gravissimis conjunctus, quas sensus infernalium pœnarum efficit. *Et anima mea conturbata est.* Elegantissimè Rivetus, hæc Verba ponderans: *Si robur omne corporis adeò emarcuit*, inquit, *ut ossa, quæ solidissima & firmissima corporis pars sunt, veluti prostrata sint, ità ut nihil sit in eis non longvidum; anima mea non minùs dejecta est, ejusq; vigor non solùm aliquanutlùm imminutus, sed valde remissus. Illa corporis afflictionum causam dedit, quæ vicissim corpori compatitur, eò magis, quòd sibi imputat, quod corpus plectitur: Imò ideò turbantur ossa, quià, conturbatur anima, ità ut hîc non tàm sequatur affectus corporis quàm præcedat: nec enim novum est in hâc tam arctâ conjunctione utriusq; partis, ut corporis languor animam afficiat & affligat: & vicissim, gravis ac violenta interior cordis anxietas totum corporis robur conturbet. Imò aliter fieri non potest. Quid si unaquæq; pars in se affecta sit? Ità certe multiplicantur dolores & hinc oritur conturbatio illa quam experior, dùm anima de corporis statu sollicita est, in seipsam descendens, aliam vim morbi sentit periculosiorem; dùm corpus, inter dolorum aculeos, animæ suæ opem non habet paratam, quæ ipsa sibi sufficere non potest, &*

penè opprimitur sub onere. Talis est status meus, nihil in me sanum est intus & extra, totus quantus sum langueo & deficio, nisi me reficias. Anima mea sine quâ corpus nullo sensu afficitur naturali, nunc ab ipso corpore monita & ejus aculeis compuncta, quod antea malum suum non sentiebat, non sine horrore videt & agnoscit. Jam sua causa dolet, quæ initiò corpori tantùm indolebat; agnoscit se in pedicas & laqueos Diaboli incidisse. Sentio tormenta & carnificinas in is torquentis afflictæ Conscientiæ, quæ, quia frænum mihi non fuit ante peccatum, nunc post peccatum est flagellum. In illo grandi volumine lego universas actiones meas, stylo veritatis inscriptas. illud domesticum Tribunal, quod nemo potest effugere, dùm vocor errent iræ tuæ tonitrua, & penè opprimit cogitatio æstus inferni Requiem nullam in me invenio, quem inquietant conturbationes animæ, peccatorum mole pressæ. Heu me miserum, inquio, quid incepi? quid effeci? quò tendebam? quò deveni? ad quid aspirabam, in quibus suspiro? Amplificat David horum cruciatuum miseriam ab adjuncta, tùm atrocitate, per particulam Valdè; tum diuturnitate, in verbis: Et tu Domine usq; quò? sc. non misereris ac sanas. Affectuosa est hæc Apostopesis & valde emphatica, ostendens ex animæ nimium turbata preces has proficisci, ità ut in tanta disturbatione ne quidem integra possit formari sententia; sed quasi faucibus constrictis frangantur verba & interrumpatur Oratio (β) Reconciliatio, verbo revertendi indicata, in ira enim Deus tergum quasi nobis offert; Idem verò placatus gratiosum ostendit vultum. Est humanus loquendi mos. Homo enim iratus aut vultum contorquet, aut faciem suam avertit: placatus verò convertit se, & oculis benignioribus alterum aspicit. Idem Deo tribuitur, in diverso aut contrario, vel iræ ejus, vel benignitatis effectu. Audiamus hîc iterum Riveti verba: Clamavit in cruce Matth. 26. 46 is qui indesinenter in te est, & in quo tu es: à quo te non potes separare, nisi temet ipsum deseras, Nempe quia tum auxilium tuum suspendebas cùm suspensus in ligno pateretur, sinebasq; eum manibus impiorum transfodi, dùm manus potentiæ tuæ cessare videretur. Quod benignæ mater facit, quæ filiolo aliquandò se subducit, & in proximo latet, ut ejus querelas & lamenta eliciat, ac misericordiam suam hâc ratione excitet; Idem tu ergà nos usurpas, ut te magis sollicitè quæramus. Interim non longè abes

gè abes, nec etiam in longum tempus protrahis auxilium, quicquid tunc contrà cogitet perturbatus animus. Ab quando restitues te mihi, ut benè sit mihi, sine quo tàm malè est mihi? miserere laborum & conatuum meorum, qui nihil valeo sine te; fac ne desperem, dùm suspiro: sed respirem sperando: Esuriens incepi quærere te, ne permitte ut jejunus recedam; famelicus te voco ad me, ne me impastum dimitte. Ad divitem venio pauper, ad misericordem miser, ne recedam vacuus & rejectus. Solet aliquandò quod absconditur diligentius investigari, & inventum arctiùs amari: Sic abscondis thesaurum tuum ut incites cupidum: recondis margaritam, ut augeas quærentis diligentiam: differs dare, ut deceas petere: dissimulas audire petentem, ut facias perseverantem. Ipse tu absconderis timentibus te, ut inveniaris sperantibus in te: Sic quærentibus remotus es, ut perseverantibus in te: Sic quærentibus remotus es, ut perseverantibus appropinques. Illustratur ab *effectu* gemino, *privativo* uno, altero *positivo*. Privativus est *liberatio ab ira & pœna*; Verbum Hebræum singulariter est emphaticum, & significat aliquem *eruendo liberare*. Metaph. desumta ab iis, qui in luto densissimo hærent, nec emergere valent. Ideo Lutherus hoc verbum *Psalm. 91. 15.* vertit heraus reissen. Comparat itaque David peccata sua & indè ortas angustias ac pœnas lacui profundo in quo torqueatur & squaleat miser, sicut *ps. 69. & 88.* hanc similitudinem pluribus deducit. Liberationis *objectum* facit *animam* suam, quâ voce notat *vel* vitam, *vel* καὶ ἐξοχὴν primariam sui partem, quam turbatam esse dixerat; *vel* per Synechd. membri, se totum. Positivus est *salvatio* seu justificatio: non enim loquitur de salute gloriæ sed gratiæ, & petit sibi per fidem imputari justitiam Jesu Christi ad salutem. Hoc fine usurpat radicem, à qua proprium salvatoris nomen descendit. Amplificat hanc petitionem David 1. *à causa impulsiva interna* Justificationis, quæ est *misericordia* Dei. 2. *à causa impulsiva externa*, quæ est *miseria* ex peccato oriunda, & angor conscientiæ propter iram Dei perterritæ. Describit autem miseriam hanc tùm *ab eventu futuro*, tum *ab effectis jam præsentibus*. Eventus futurus est *mors* & *infernus*: illius consequens est *oblivio Dei*; hujus *blasphemia*. Verba interrogatione affirmativâ ad augendum affectum concipiuntur sed enunciationi neganti æquipollent. Inter præsentia symptomata Davidicæ miseriæ *primum* est *prostratio omnium virium*. Nam fatetur se *laborare*, id est, defatigari

sub

sub onere anxietatis ponderosissime *Esai. 43. 11. Secundum* Symptoma sunt *gemitus* & *suspiria*, quæ anhelans sub tanta laboris mole intus comprimit, nec præ angustia & defatigatione satis expectorare valet. *Tertium* symptoma est *sudor frigidus*, qualis videtur in pavescentibus, cum sanguis ac reliqui humores ob virium imbecillitatem protruduntur. Amplificat autem hanc passionem tùm *à circumstantia loci*, qui est *lectus*, alias quieti destinatus. Simul verò commemoratione hujus circumstantiæ respicit ad *causam meritoriam* hujus angustiæ, nempe ad adulterium, quo lectum suum contaminaverat; tùm *à circumstantiâ temporis*, quæ est tota *nox*: tenebris enim suis melancholicas cogitationes nox aggravat, præsertim si vigiliæ accedant, omnium virium recreationem turbantes; tùm *à vehementia*, quam exprimit hyperbolicâ Metaphorâ petitâ à *navibus*; sicut enim navis in fluctibus natat, sic præ nimio sudore lectus Davidis quasi natavit. *Quartum* Symptoma est *fletus immodicus*, qui similiter describitur tùm *à loco*, quiest *lectus*; tùm *à nimiâ copiâ*, quam effert Metaphorâ desumptâ *à lotricibus* Syndones lecti carias lavantibus. *Quintum* Symptoma est *deformitas aspectus*. Subjectum est *oculus* synecdochicè pro tota facie positus. Prædicatum notatur verbo emphatico designante *corrosionem* ab ærugine vel vermibus factã. Redditur à nonnullis *corrosus*, seu, *consumtus est*: ab aliis; *impurtuit*, *contabuit*: ab aliis; *caligavit*: à Chaldæo, *obscuratus est*, à Græc. & Lat. *turbatus est*. Difficile est statuere de vocis אשׁשׁה significatione, cùm non nisi ter in sacris literris reperiatur. *hoc loc.* & *Ps. 31. v. 10. v. 11.* Innuit formam cadaverosam ac luridam ob spirituum in mœstitia constrictionem. Nam sanguis, qui corpori floreum & roseum colorem tribuit, retrahitur in mœstis ad cor, hinc pallor luridus, sicut econtrà gaudentes rubescunt ob diffusionem caloris & sanguinis ad partes exteriores. *Sextum* Symptoma est *senium intempestivum*, seu præproperum. Exhausto enim succo, cutis contrahitur & corrugatur, præsertim in facie; hujus marcoris & accelerati senii repetit causam, quæ est *multitudo angustiarum*.

Sequitur jam altera Psalmi pars, in quâ ab inferis reductus David profitetur suum propositum de vitando malo. Est autem bimembris: In *primo membro* ad contestandam suam novam obedientiam repudiat omnes operantes iniquitatem. In *secundo* maledicit

ac

ac imprecatur hostibus suis. Prioris membri summaria propositio hæc est: *Operarii iniquitatis debent à me discedere. Operarios iniquitatis* vocat eos, qui suos affectus sequuntur, & feruntur quò ipsis lubet, non reputantes, an justum vel injustum sit: qui fide destituti contrà conscientiam nefariè peccant, summoq; ac indefesso studio peccata operantur. *Recedite*, inquit, à me, quotquot estis; non habetis amplius in me, unde delitias faciatis. Ipsum repudium concipitur universaliter, in voce *omnes*, & tùm affectuosâ *Apostrophe* ornatur, tum *ratione* satis firmâ probatur, quæ petitur *à gratuita Dei exauditione* & figuratur triplici ἐπιμονῇ, ac quâdam verborum copiâ in notatione tum *causæ efficientis*, tum *modi exauditionis*, tum *objecti*. Nam 1. David ex abundantia cordis gaudio perfusi *ter* repetit nomen *Jehovah*, ut ostendat, se huic soli beneficium remissionis acceptum ferre. 2. *Exauditionis modum* duobus verbis & uno quidem iterato exponit. Verbum *audiendi* pro *exaudiendi* positum *bis* adhibet, ad notandam fiduciæ suæ plenitudinem: Utitur autem verbo *præteriti temp.* quod certò teneret, Deum suas preces admissurum. Alterum verbum est valdè emphaticum, significans *acceptationem meam*, h. e. eam te acceptam habere mihi testaris, qui pavidam meam conscientiam erigis, spe indubitatâ, quod preces meas exaudiveris, easq; habueris in suffitu. 3. *Objectum* hujus exauditionis triplicat: ponitur enim tum *fletus*, designans vocem flebilem, nisi velimus dicere, lacrymis per Prosopop. vocem tribui: hoc vult David dicere: Cum in angustia cessarent articulatæ oris mei voces; oculi mei apud te expresserunt cogitationes cordis mei quæ alioqui expositæ fuerunt in ipsis penetralibus meis scrutatori cordis & renum: tum *Supplicatio*, seu istiusmodi oratio, quâ flagitatur gratia ac clementia; tum in genere *precatio*. Posterius hujus partis membrum explicat justum Dei judicium in impœnitentes ferendum, quod David non saltèm in Spiritu Prophetico prædicit, sed & ex justo Zelo imprecatur. Constituit autem certos hujus judicii *gradus*, quorum *primus* est *confusio*, qua convincuntur, & rei inveniuntur coram stricto Dei judicio: *Secundus* est *Conturbatio*, quâ invia à Deo puniuntur. Hic gradus amplificatur mentione triplicis *adjuncti*, tum *perpetuitatis*, verbo *revertendi* designatæ, *reversi erubescant*, hoc est, iterum atq; iterum erubescant, nec unquam eluentur

ctentur; Juxta Ezram est; *convertentur*, hoc est, pœnitebunt. Juxta Kimchi; *revertentur*, hoc sensu: ipsi cognoscentes non successisse, quod cogitarant, revertentur ad me ut mecum in gratiam redeant, tum *gravitatis*, significatæ partim adverbio *valdè*; partim repetitione verbi *erubescendi* emphaticâ *subiti & inopinati impetus*.

USUS I *Didascalicus* describit rationem veræ pœnitentiæ, quæ consistit in salutari hominis peccatoris ad Deum conversione, quâ de peccatis agnitis dolens fide in Christum erigitur. *Partes essentiales* habet duas, *contritionem* & *fidem*, cujus necessarium *consequens* est *nova obedientia*. *Contritio* est dolor de offenso Deo, & motus iræ divinæ ortus ex peccati per ministerium legis agnitione. David enim sentit tùm ingentem dolorem, tum iram & furorem Dei. Inque hoc dolore suo duplicem exhibet *contritionis formam*; *immanentem* alteram, alteram *transeuntem*. Immanens est, quâ animus ejus internè dolet; *anima mea turbata est*. Transiens, quâ dolor hic foras progreditur & sermone ac gestibus se prodit. Huc spectant Davidis *gemitus*, *lacrymæ* & *confessio*. Contritionis *causa* est *agnitio peccati v. 2. medium*, per quod Deus contritionem operatur, est geminum, (α) *ministerium legis*, ostendens peccatorum gravitatem, & pœnarum peccatis promeritarum atrocitatem: (β) *afflictiones*, quæ legi succenturiatam præstant operam, illiusque theoriam ad praxin referunt, & nil sunt nisi reales legis conciones. *Fides*, altera pœnitentiæ pars, ad misericordiam Dei fugit, & cum Davide exclamat: *Miserere mei Domine, quia infirmus sum*. Describitur in Psalm. nostro quoad *proprium* & *principalem* suum *actum*, qui est *apprehensio* meriti Christi. *Salvum me fac in nomine Jesu*. Hinc David toties repetit fiduciæ salvificæ characteristicum: Miserere *mei*, infirmus sum *ego*, sana *me*. Vera fides autem ex *fructibus* agnoscitur & documentum manifestum exhibet in *studio bonorum operum*. Ideo David *v. 9.* impœnitentium consortio valedicit. *Elenchticus* stringit Bellarminum, qui ex *v. 2. hujus Psalm.* colligit materiam, quâ succendat ignem purgatorium curiæ Romanensis. Sed frustra est Cardinalis. Nam verba Psalmi non loqui de Purgatorio, sed de stricti judicii divini executione, confirmat antithesis miserationis, sanationis, reconciliationis *v. 3, 4.* idq; apparet ex *v. 9.* in quo objectum furoris divini statuuntur non pii, quorum animas post mortem purgari

lib. 2. de purg. c. 2.

gàri dicunt Pontificii; sed operarii iniquitatis. *Paidevticus* hortatur ad agendam pœnitentiam. *argumento* tum *à necessitate*, quia conducit ad sanationem animæ, tum *facilitate*, quia Deus per misericordiam suam & pœnitentiam in nobis operatur, & pœnitentibus facilè remittit: tum *ab exemplo Davidis*, aliorumq; sanctorum; tum *à damno contrarii*, quod est pœna tàm temporaria, quàm æterna, imprimis conturbatio corporis ac animæ. *Epanorthoticus* incutiens peccatoribus timorem, ob oculos ponit tum *peccati fœditatem*, quia à Davide comparatur ægritudini; tum *iræ divinæ gravitatem*; tum *subsequentes angustias conscientiæ & dolores infernales*; tum *omnis generis pœnas temporales*; ut infirmitates corporis; tum *impossibilitatem resipiscendi post hanc vitam* v. 6. tum *æternam damnationem*. *Paracletitus* in afflictis conscientiis fiduciam generat 1. *à misericordia Dei*, quâ saucii peccatores curantur, conturbati exhilarantur. 2. *ab Exemplo Davidis* & aliorum sanctorum, qui peccatorum pœnitentiâ ducti eorum remissionem impetrârunt.

DISPOSITIO VIII.

In

Cantic. 1. 13.

Fasciculus Myrrhæ est dilectus meus mihi Qui inter ubera mea commorabitur.

Agit hic versiculus de jugi ac practica passionis Dominicæ meditatione. Et 1. quidem exprimitur *Subjectum patiens*, voce דודי Notat Mercerus ad *Cant. 1. v. 2.* דודים non nisi pluraliter inveniri, דוד verò, quod in singulari reperitur, significare *dilectum, amicum*, seu, *amasium*. Si maximè ita sit, intensissimi tamen hoc vocabulum amoris character est, quo V. G. sponsa sponsum, aut soror fratrem amplectitur. Et vel ipsissimum amorem dicit, tam in amante Christo, quàm in redamante sponsa, juxta illud Ignatii; *Amor meus crucifixus est*. Emphasin hanc auget additum affixum *meus*, quò sibi veluti peculium Jesum suum vendicat, suumque vicissim amorem ipsi soli

soli sacrum vult. Insimul hoc affixo notatur *causa impulsiva* passionis Christi, quæ est *amor tui.* 2. In *prædicato* tria habes, (α) *Christi patientis cum myrrhâ collationem.* Myrrha, teste Plinio arbuscula est in Arabia, minor arbore thuris, altitudine ad quinque ferè cubitos adlib. 12. c. 15. olescens. Scabra est, spinosa, foliis aculeatis, caudice duro & intorto, è cujus vulnere defluit lacryma, gustu acris cum amarore, quæ glutinandi, siccandi & abstergendi vim habet egregiam. Porrò myrrha arbor fundit succum, seu liquorem, qui pariter myrrha dicitur, eumque duplicem: prior est, quem arbor ipsa sponte sudat, qui *stacte* i. e gutta dicitur, hæcque est myrrha optima & odoratissima Exod. 30. nominatur מר־דרור. Luth. die edelste Myrrhen / pro *Myrrha libertatis*, eo quod liberè & sponte exsudat: posterior quæ ex incisione arboris elicitur. Est verò Myrrha Symbolum Christi patientis: (1) quia repræsentat varios ejus dolores & passiones. Myrin h. l. rha amara est. Anshelmus; *Myrrha est res amarissima, & ideò eâ corpora manent integra, quia præ nimia amaritudine vermes non accedunt.* Quid autem passio Christi nisi continua amaritudo & dolorum congeries? (2) Myrrha odoris gratâ svavitate superat cæteras arbores lib. 15. c. 11. aromaticas. Imo Athenæus ex Myrrha omnia unguenta nomen accepisse statuit, ut μύρον dictum sit quasi μύῤῥον, quia myrrha ob fragrantiam odoris universis aromatibus præcellit. De Christo patiente Paulus Eph. 5. 2. inquit, quod sese obtulerit Deo *victimam in odorem bonæ fragrantiæ.* Quia enim oblatio Christi cùm ex perfecta erga Patrem suum obedientia, tùm ex ardentissima in genus humanum charitate profecta est, absolutissimum fuit, Deoq; gratissimum sacrificium. Ut taceam εὐωδίαν illam, quam etiam nos ex passione Dominica habemus, tàm virtutum excellentium, quàm solatiorum dulcissimorum. (3) Myrrha incorrupta servat corpora: qui scopus sine dubio præfixus fuit Josepho & Nicodemi, Christi corpus post mortem myrrhâ & aloe perungentibus, fortassis, quod vel ignorarunt, vel debili fide conceperunt istam ἀφθαρσίαν, quæ carni Christi vi unionis hypostaticæ competebat. Quam unctionem Beda huic loco applicat, scribens: *Dilectus Ecclesiæ fasciculus myrrhæ factus est, quando Dominus myrrha & aloe perlitus linteis involutus est.* Christi passio animæ per devotam meditationem fidemque impressa

eam

càm per peccatũ corrumpi haut finit: ipsiusq; resurrectio causa est resurrectionis piorum ad vitã. (4) Myrrha medetur vulneribus corporis; passio Christi per fidem applicata vulneribus animæ. Hinc illius livore dicimur sanati *Esai.* 53. *1. Pet.* 2. 24. quia ex passione ejus consecuti sumus & peccatorum remissionem, & naturæ per peccatum corruptæ instaurationem. (5) Myrrhæ oleo vel Spiritu humores corrupti è corporibus pelluntur; & virtute mortis Christi concupiscentiæ carnis in nobis mortificantur. Crux Christi veteris Adami in nobis quædam crucifixio est *Gal.* 5. (6) Myrrha dolores sedat; & Domini passio in acerbissimis afflictæ animæ doloribus dulcissimum ingerit solatium (7) Myrrha cor confortat; & hoc præstat Christi passio debili admota animæ, labantem fidem suffulcit, prostratam erigit, erectam contra futuros lapsus præmunit. (β) *Myrrhæ in fasciculum colligationem.* Hebræorum צרור de quavis *coarctatione* effertur, sivè sit *manipuli*, sivè *loculi*, sivè *pyxidis* 1. *Sam.* 25. 29. Nonnulli interpretum volunt *h. l.* significari fasciculum ex foliis, vel ramusculis aut floribus myrrhæ arboris constrictum. Quò *Lutherus* cum *Vulgato* respexisse videtur. *Alii* intelligi putant diapasmata & pulveres odoriferos in saccis byssinis sericisve colligatos, ac de collo suspensos. *Syrus* vertit crumenam, vel bursam, & LXX. ἀπόδεσμον τῆς σταχτῆς, *alligamentum stactes*, seu guttæ, ut notetur pyxis olfactorialis, in qua liquor condensatus continetur. Neutra sententia quicquam habet incommodi: posteriorem tamen fermè prætulerim, *tùm* quia ex Athenæo traditur, orientales guttis myrrhæ ungere solitos pectus, eò quòd cordis imbecillitati multùm prodesse credebantur: *tùm* quia ex *Esai.* 3. 20. 24. constat, Hebræorum mulieres habuisse καρδιοφυλάκια, seu olfactoria; unde נפש ביתו Lutherus vertit bieſem Apfel. Cœterum coarctatio hæc, sivè fiat in fasciculum, sivè in factum, sivè in pyxidem, designat collectionem quasi quandam singulorum actuum passionalium, vel singularum guttarum sanguinis Christi; quæ fit per devotam meditationem, eine genawe betrachtung alles deſſen / was Chriſtus fur uns hat gelitten. Audi Bernhardum: *Ego mihi hunc fasciculum colligo ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini, memor primùm infantilium illarum necessitatum, deinde laborum, quos pertulit in prædicando, fatigationem in discurrendo, vi-* *serm. 43. in cant.*

giliarum in orando, tentationum in jejunando, lacrimarum in compatiendo, insidiarum in alloquendo: postremò periculorum in falsis fratribus, convitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumq; similium. &c. (γ) *Fasciculi hujus inter ubera collocationem*: Hebræi per *ubera* duos vectes Arcæ, vel *duos Cherubim* intelligunt, inter quos Divinitas Domini in Arca residebat. Philo Carpathius per duo ubera intelligit *duo Testamenta*, V. & N. utrumque enim prædicat Christi passionem. Justus Orgelitanus signari vult *Doctores Ecclesiæ* qui prædicant Christum crucifixum. Huc facit quod Lutherus scribit. Die Brüste der geistlichen Braut Christi welche die vernünfftige Milch deß Evangelii von sich geben / und die jungen Kindlein Seugen / sind die Prediger in der Christenheit: Die sollen haben ein Püschel Myrrhen ümb sich hangen / das ist / das man immer Christum sol predigen / der Bräutigam muß mitten in den Brüsten sein gemenget / sonst ists unrecht / und wird die Milch gefälschet / wenn man nicht lauter Christum prediget. *tom. 2. Jen. Germ. p. 335. b.*

Gregorius duo ubera refert *ad amorem Dei & proximi*, quando; *Christus*, inquit, *benè inter ubera commorari dicitur, quia in dilectione Dei & proximi habitatio Christi sancta ædificatur: sancta quippe anima dum Deum sic diligit, ut proximum non contemnat, & proximi amorem sic exequitur, ut divinum non minuat, procul dubio ubera in pectore sibi locat, quibus Christum amplectens, ipsum nutriat.* *l. c.*

Bernhardus duo ubera accipit de *congratulatione & & compassione*, juxta illud *Rom. 12* Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus. *Quia* inquit, *inter adversa & prospera versans, novit utrobiq; pericula non deesse, medium hujusmodi uberum suorum vult habere dilectum, cujus adversùs utraq; continuâ protectione munitâ, nec læta extollant, nec tristia dejiciant.*

Alii per ubera *cor* intelligunt. Ita Gregorius Nyssenus: *Dominus ipse Myrrha factus ipso in corde meo quasi contubernium quoddam habet. Nã cordi situs inter ubera esse dicitur ab iis, qui hujusmodi considerant.* *Hom. 3. in Cant.*

Nec aliter Theodoretus in hunc locum: In medio uberum commorabitur, *h. e. in præcipua animæ meæ parte, nempè in corde, quod inter ubera situm.* Hanc ultimam, ut simplicissimam, præ aliis amplectimur sententiam. Observandum autem quoque venit, Verbum לין, suâ non destitui emphasi. Propriè significat *pernoctationem.* Hoc igitur anima devota vult dicere: *No-*

ctu,

Eu, eum maximè ingruunt triſtes cogitationes, turpes phantaſiæ, & tentationes Dæmonis, pro unico certoque omnium remedio, utar hoc myrrhæ faſciculo. Subindè notat *commorationem*, eamque non tantùm unius noctis, ſed conſtantem. *Pſ. 25. v. 14. Prov 16. v. 2. Zach. 5. v. 4.* LXX. αὐλιοθήσεται, *aulam*, ſeu, *habitationem* & *manſionem ſtabilem accipiet*, ut ſenſus ſit: nihil me ſeparabit ab amore Jeſu crucifixi. *Rom 8.* Cœterum ligatur inter ubera Chriſtus patiens, (1) per Dominicæ paſſionis *meditationem* & *fiducialem applicationem*. Ita Bernhardus. *Tu ſi ſapis, imitaberis Sponſæ prudentiam, atq; hunc myrrhæ tàm charum faſciculum, de pectore tuo, nec ad horam patieris avelli, amara illa omnia, quæ pro te Chriſtus pertulit, retinens in memoria, & aſſiduâ meditatione revolvens, ut & poſſis dicere tu*: Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. *Hæc meditari dico ſapientiam, quia in his ſuavis unctio conſolationis: hæc me reprimunt in proſperis, & erigunt in adverſis, & inter læta & triſtia tutum præbent. Hæc mea ſublimior ſapientia, ſcire Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Sic Beda in hunc locum: *Chriſtus tanquàm myrrhæ faſciculus tunc inter ubera Sponſæ commoratur, cum mortem ſui Redemtoris ſine intermiſſione intimo corde meditatur. Inter ubera cordis locum eſſe quis neſcit?* (2) Per *intimam* Chriſti crucifixi *dilectionem*. In mammis amoris ſignum, & ubera ad amorem pertrahunt. Hinc ſicut Hebræis דודים ſunt amores, ſic דדים ubera. Huc facit quod ſuprà allegavimus ex Gregorio de amore DEI & proximi. Nec aliter Petrus Damianus. *Chriſtus per amoris ſui incendium tibi ſemper vivat in corde, ut concaleat etiam tibi, quod Sponſa dicit*: Faſciculus Myrrhæ &c. (3) per paſſionis Dominicæ *imitationem*, (α) in *mortificatione carnis* & *vivificatione Spiritûs*: Gregorius *Mortuorum corpora myrrhâ condiri ſolent, ne putreſcant. Myrrham corporibus, ne putreſcant, adhibemus, dùm membra noſtra in Chriſti exemplum, per eorundem mortificationem à putredine luxuriæ reſtringimus, ne dùm ea ſine condimento dimiſerimus, diſſoluta putredine, eſcæ vermibus æternis faciamus. Sed quid eſt, quod dilectũ ſuum Sponſa non Myrrham ſed faſciculum myrrhæ vocat, niſi quod, dum ſancta mens Chriſti vitam ex omni parte conſiderat, contrà omnia vitia ex ejus imitatione repugnantes virtutes congregat: ex quibus ſibi faſciculum myrrhæ aptat, quo carnis ſuæ putredinem ſempiternam abſtergeat.* Et Beda in h. l.

ſerm. 43. in Cantic.

Epiſt. 3. c. 3.

in h. l.

Faſciculus

myrrhæ inter ubera Sponsæ commorabitur, cum anima quæq; Deo consecrata, mortem ejus, à quo se redemtam novit, intactâ mente, quantum valet, imitari satagit, memor illius Apostolici sermonis: Quicunque sunt Jesu Christi, carnem suam crucifigunt &c. (β) *in patienti crucis tolertione.* Bernhard. *Myrrha amara res, dura & aspera tribulationem significat. Eam sibi dilecti causâ imminere prospicions, gratulabunda id loquitur, confidens se omnia viriliter subituram. Propterea non* fascem, *sed fasciculum dilectum dicit, quòd leve præ amore ipsius ducat, quicquid laboris immineat & doloris. Bene* fasciculus, *quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Erit igitur quandoq; nobis ingens cumulus gloriæ, qui modo est* fasciculus myrrhæ. *Annon* fasciculus, *cujus jugum suave est, & onus leve? non quia leve in se, (nec enim levis passionum asperitas, mortis amaritudo,) sed levis tamen amanti. Et ideò ait*; Mihi, *quæ diligo. Undè &* dilectum *nominat, monstrans dilectionis vim omnium amaritudinum superare molestiam.* Sic Aponius *Martyrum fortitudo & constantia in tormentis nihil aliud fuit quàm fragrantia hujus fasciculi.*

serm. cit.

ant h.l.

USUS *Didascalicus* describit passionem Christi (α) à *causa impulsiva*; quæ fuit in Christo æstus amoris intensissimus, voce דודי expressus. (β) *ab adjunctis*, ut quod fuerit (1) *spontanea* vim nullam admittens externæ coactionis, sed interni amoris (2) *acerbissima*; hinc myrrhæ comparatur. (γ) *ab antecedentibus vaticiniis & typis* V. T. Sic Daxid *Ps.* 45. prædixit Christum ad sepulturam myrrhâ & aloe condiendum. Isaac verò in monte Moryah offerendus oblationem Christi in Monte Calvariæ factam præfiguravit, *Gen.* 22. *Paidevticus* hortatur, ut passionem Christi in intimo cordis nostri fundo jugitur fixam habeamus, illâque velut myrrhâ efficacissimâ cor nostrum insuccemus, ut ejus vis ex corde in omnes sensus, facultates & membra proserpat, eaque ad omnes amoris agones, omnes virtutis labores, omne genus mortis & martyrii pro Christo generosè & alacriter obeundum, corroboret: *argumento*, tùm *ab æquo*: iniquum enim est, ut passionem Christi tàm amorosam, tàm dolorificam sine fructu in nobis esse patiamur: tùm *ab exemplo Sponsæ*, Pauli, *Gal.* 2. 20. aliorumque sanctorum: tùm *ab utili*, quia conducit ad refrænandas inordinatas carnis passiones, ad excitandum Spiritum

ritum in virtutum studio, ad suscipiendos cum gaudio pro Christo labores. *Epanorthoticus* corrigit eos, qui passionis Christi planè obliti, omni vitiorum generi se dedunt, argumento, tùm *ab iniquo*; iniquum est ut illi in se pariantur vivere, quod Christum neci dedit, peccatum: tum *inutili*; quia nullum ex passione Christi fructum percipiunt. *Paracleticus* animum addit iis, quibus ingratus vel mortificationis internæ, vel crucis externæ sensus; *argumento*, tùm *ab amore Jesu*; amor amorem trahit, amanti verò omnia jucunda: tùm *ab exemplo Christi*, cui complantanti sumus in mortem veteris Adami *Rom. 6.* & cui obligati sumus ad ferendam crucem!

DISPOSITIO XI.

In

Cant. II. v. 5.

Fulcite me Phialis vitreis, stipate me malis, quia languens amore sum.

Duo ostendit hæc Gnome I. animæ sanctæ *languorem*. II. languidæ *refectionem*. *Languoris* notatur (1) *Subjectum*, quod est anima devota, sicut antecedentia & consequentia clarè docent: Hinc *Elenchus* contrà *Rupertum*, *Svvaresium*, & alios, qui subjectum constituunt virginem Deiparam, quam post Christi in cœlum adscensum, perpetuo ejus desiderio & amore languidam fuisse, eoque languore sensim resolutam, ac sine febri aliove morbo tandem mortuam esse docent. (2) *causa*, qui est *amor*. Ellipticus in Hebræo sermo est. Ellipsin verò hanc alii complendam esse existimant per בְּ, ut notetur *defectus amoris*. Ità statuisse videtur Bernhardus, quando; *hæc mala*, inquit, *hi flores, quibus Sponsa interim stipari postulat & fulciri, credo sentiens facile vim amoris in se posse tepescere, & languescere quodammodo, si non talibus jugiter foveatur incentivis.* Alii per מִן, ut *excessus* indicetur, quem suadent antecedentia de cellâ vinariâ dicta. Sponsa enim in cella vinaria amoris divini vino adeo se oppleverat, ut recedente sponso ex amoris vehementia linqueretur animo, deficeret, & collaberetur. *Serm. 51. in Cant.*

Advocat igitur socias, easque inclamat: ferte suppetias, flores & poma labanti admovete, quorum fragrantiâ Spiritum fugientem revocem. Atque huic sententiæ magis favere videtur Bernhardus quando l. c. scribit: *Sponso, more suo, secedente, illa languere amore se perhibet*, i. e. *præ amore. Quò enim gratiorem fuerat experta præsentiam, eò postmodum absentiam molestiorem sensit. Subtractio nempè rei quam amas, augmentatio desiderii est, & quò ardentius desideras, eò cares ægriùs. Rogat proinde ista iterum odoramentis florum & fructuum confoveri, quousque denuò revertatur, quem molestissimè sustinet remorantem.* Item; *Cum præsto est, quod amatur, viget amor; languet, cum abest: quod non est aliud, quàm tædium quoddam impatientis desiderii quo necesse est afficiamentem vehementer amantis, absente eo quem amat; dum totus in exspectatione, quantam libet festinationem reputat tarditatem.* lib. 2. in Ezech. c. 15. Ità eidem est amor desiderii ex gustu amati ortus. Convenit Gregorius. *Quid sunt in sancta Ecclesia thalami, nisi eorum corda, in quibus anima per amorem sponso invisibili jungitur, ut ejus desiderio ardeat, nulla jam, quæ in mundo sunt concupiscat, præsentis vitæ longitudinem pœnam deputet, exire festinet, & amoris amplexu in cœlesti sponsi visione requiescere? Mens itaq; quæ jam talis est, nullam præsentis vitæ consolationem recipit, sed ad illum quem diligit, medullitùs suspirat, fervet, anhelat, anxiatur. Vilis ei fit ipsa salus sui corporis, quia transfixa est vulnere amoris. Undè & in Canticis dicit*; vulnerata charitate ego sum. *Mala autem salus est cordis, quæ dolorem hujus vulneris nescit: cùm verò anhelare jam in cœleste desiderium, & sentire vulnus amoris cœperit, fit anima salubrior ex vulnere, quæ priùs ægrotabat ex salute.* Concisius inv. l. Justus Episcopus Orgelitanus. *Languor non est morbi, sed ineffabilis desiderii, secundùm illud:* defecit in salutari tuo anima mea, & in verbum tuum superspravi: defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, quando consolaberis me? *felices illi, qui tali profectu proficiunt. Quodammodo enim qui multum desiderat, languescit & deficit, donec optata vel quæsita reperiat.* Nec tamen ineptè fecerimus, si de *amore quietis* intellexerimus. Sanè Dei amor in nos homunciones ità nos afficit, & extrà nosmetipsos ponit, ut omnes vires deficiant. Sic amor Dei significaretur, non qui fertur in Deum, sed qui tendit à Deo in nos. Bernhardi tamen sententia posterior textui convenientior

nientior. Cassiodorus planè aliter, nempè de amore, quo mundum amplectimur. Ita enim scribit. *Languor charitatis est, quo anima sit imbecillu & languida ad terrena atq; carnalia, nihilq; eam delectat, nisi cœlestium meditatio, & contemplatio conditoris sui, cujus dilectioni nihil præponit.* in h. l. Non sanè ineptè: quò enim plus deficit amor mundi in nobis, tantò majoribus indiget amor Christi incentivis, ut proficiat. Unius corruptio & mors, est alterius vita & generatio. Ob nexum tàm evidentissimum præferimus eam sententiam, quæ exponit de *amore desiderii* in Christum lato. (3) *forma* in voce חולה *ægrota sum.* חלה propriè est *ægrotare Genes.* 48. *1. 2. Reg. 8. 7. Ezech. 34. 5. 16.* Sic *Eccles. 5. v. 12.* רעה חולה *malitia ægrotans*, per Meton. pro, ægrum faciens, ut mors pallida est faciens pallere. Ex vehementi amore languorem nasci, imò morbum, quo corpus macrescit, marcescit & tabescit, qui proindè vocatur ἔρως, *amor*, seu morbus amoris, non saltèm docent Medici, sed & præter Historiam *2. Sam. 14.* testatur experientia. Nempè amantibus sæpe evenire solet puellis, ut præ amore ad illius quem depereunt, absentiam, & corporis languorem & animi patiantur deliquium. Ejusmodi languorem & deliquium his verbis concipit Sponsa, quæ cum amore Sponsi mulcetur ac emollitur, sibi quasi per amplexum & penetrationem quandam illum imprimere nititur. Quod ut fiat, tota dehiscit & patet illi, ut veluti poris apertis hauriat dulcedinem amati. Hinc affectus ille amoris molestissimus, quem *languorem* vocat. Quando enim sic tota in Sponsi amorem fertur, suspirat deficiendo & suspirando deficit, juxtà illud Nazianzeni, vel cujuscunque alterius, de laudibus Virg

Hunc quò plus quisquam cupit, hoc magè cernit eundem
Quòq; magis cernit, tantò magis expetit illum.
Cernere: licq; bonus semper convolvitur orbis.

Sanè ægrotos videas omnes fastidire cibos, quævis læta spernere, noctes multas insomnes transigere, continuâ ferè siti confici, virium ingentem pati defectum, Medici operam nocte dieque anhelare. Aspice animam sanctam amore languidam. Fastidit, quæ mundus offert, fercula; corporea quoque non rarò detestatur alimenta; vani-

tates omnes, ex quibus solaminis vix guttulam percipit, contemnit; vigiliis quoque vacat nocturnis, ne pulsantem semper non audiat; palleſcunt genæ, nigreſcit vultus, totum corpus rigor occupat; ipſa perpetuò cruciatur Jeſu ſui deſiderio, in illum perpetuis volvitur gemitibus, ac indeſinentibus hiat ſuſpiriis. Bonus certè languor, qui non eſt ad mortem, ſed ad vitam. Beatus ardor, febrisve iſta, quæ non eſt ab igne conſumente, ſed perficiente. LXX. fortaſſis à חלל derivantes reddunt τετρωμένη ἀγάπης ἐγώ *Vulnerata charitatis ego.* Et Symachus, τετρωμένη φίλτρῳ, *vulnerata ſum philtro.* Apud Patres quoque hanc lectionem reperies, Gregorium, Ambroſium, Nyſſenum, Originem, Bernhardum, Auguſtinum & alios. Ipſe Chriſtus ſagittarius eſt; ſagittæ, quibus nos petit ſunt motus, inſpirationes, alloquia pungentia quidem, ſed non ſine dulcedine: Sagittæ ſunt beneficia varia, quibus ità tranſiguntur viſcera noſtra, ut omni abſumto torpore ignem ſentiamus validiſſimum: Sagittæ ſunt calamitates, amaræ ſagittæ ex dulci manu ſagittarii. O felices illos, qui ſumma ſaltem harum ſagittarum quaſi cuſpide pungi interdum ſeſe ſentiunt, ut vel modico accepto vulnere exclament cum anima ſancta: *Vulnerata charitate ego ſum.* Tunc verè dicitur cor amore vulneratum, quando amoris ſagittâ transfixum, intimè ardet, æſtuat, anhelat, gemit, ſuſpirat, non ſe cohibere valens ob amoris vehementiam: undè etiam fit, ut ſæpè palleſcat, & præ amore tabeſcat.

l. c. in Pſ. 118. Serm. 5. hom. 4. in Cant. hom. 2 ex duab. in cant Serm. 29. in Cantic. in Pſ. 37.

Languorem excipit *reſectio.* Ubi notificatur (1) *Subjectum reficiens*; per Apoſtroph. directam *vel* ad Sponſæ puellas, ſeu Reginæ famulas; *vel* potiùs ad Sponſi amicos & Regis miniſtros. Lutherus ſenſum attendens immediatè Chriſto tribuit, quod mediatè fit per miniſterium. Hinc *Doctrina* & *Hortatio*, quâ officii ſui ritè peragendi admonentur Miniſtri. (2) *Refectionis medium*, quod ſunt *phialæ & mala.* Rebus enim odoratis Spiritus animales ali, & vires deficientes inſtaurari, per halitum ſuavem rei odoriferæ olfactu attractum, docent Medicorum parentes Hippocrates & Galenus. Et Avicenna, agens de curatione ſyncopis, affirmat Spiritum maximè nutriri bonis odoribus. Inter odorata Sponſa (α) nominat *phialas.* אשישות notat *fundamenta Eſa. 16. 7.* Dehinc *lagenas* & pocula capacia, quæ inferiùs lata ſatis habent fundamenta. *Oſe. 3. 1.* per Metaph.

taph. quævis, quæ fulcri aut fundamenti instar esse queunt, qualia sunt res odoriferæ, hinc non ineptè Lutherus; Blumen LXX. habent μύρους h. e. *unguenta*, quæ nonnunquam è floribus odoratis fiunt. Origenes tamen pro μύρους legit μύρρους, quando; *In Græco*, inquit, *habetur*: *confirmate me in myrrhis*: *Myrrham genus quoddam arboris nominans*, *quod Latini putantes myra dictum*, *unguenta interpretati sunt*. Symmachus: ἐπαναπαύσατέ με ἐν ἄνθεσι, *recumbere me facite in flore*. Lapidensis Vulgatum, (qui vertit) *floribus* (excusaturus, putat, *vel* derivasse à שוש *gavisus est*; quia flores sint veris lætitia, camporum risus, naturæ hominisque gaudium: *vel* pro אשישות legisse צ literâ ש in צ permutatâ, & præfixo א heæmantico neglecto. Sed non opus est istis ambagibus, cum Metaphorica vocis אשישות significatio floribus non ineptè accommodari queat. Omnium optimè hûc quadrat sensus de μύρους ex floribus odoratis factis & utriculis seu lagenulis inclusis. (β) *Mala*: pomorum in amoribus fit mentio, & amori mala consecrata fuisse, ex Theocrito docemur. Sic Virgilius; *malo me Galathea petit*. Nec ad languorem ἀπίπτως. In Oriente enim recreatio languidorum fiebat per poma aurea, citrea, punica, jucunda mirè, & tùm sapore, tùm odore fortia. Ornatûs fortassis quoque hic habetur respectus. *Quodnam enim Spectaculum*, inquit Gregor. Nyssenus, *elegantius excogitare quis posit malorum compositione? cum ordine continuo fructus hic belle collocatus atque in loco confertim positus varietatem quandam affectui exhibet, rubedine, cum colore subalbo, permistâ*. Cæterùm quid per phialas & mala intelligatur, non omnium eadem est sententia. Origenes, Ambrosius, Gregorius Nyssenus, Sanchetz & Psellus intelligunt ipsum *Christum*, qui in hoc ipso capite se vocat malum inter arbores sylvestres. Verùm nec distinguunt hi inter arborem & fructum; nec advertunt numerum pluralem in textu: non enim unius, sed multorum malorũ meminit Sponsa. Philo Carpatius intelligi putat *dona Spiritus S.* præsertim *donum fortitudinis*, quod animam labantem corroborat. Ambrosius ad *passionem* Christi refert. *Unguentum est*, inquit, *quod effudit*, (sc. sanguis) *pomum quod pependit* (sc. corpus, fortasse Eucharistiam intelligit) Theodoretus de memoria Christi explicat, quando; fulcite me inquit, unguentis, i. e. *confirmate & communite me Sponsi suavitate, ne quid me*

Orat. 4. in Cant.

in Psal. 118. Serm. 5.

concutiat & labefactet. *Fragrantiâ illâ assiduè me cumulate, ne Sponsi obliviscar & ad alia aberrem.* Malis, *hoc est, Sponsi fructibus me constipate ut sub umbra illius sedens, & unguentis ejus delibuta, fructuque constipata, perpetuam ipsius memoriam conservem.* Gregorius per flores teneros quosque & incipientes; per mala verò perfectos fideles intelligi putat. *Sponsa*, inquit *quia diu æternitatis desiderio angitur, eò quod perfectionem, quam diu in carne vivit, omninò non invenit, fatigata in desiderio suo requiescit: Et in hoc sæculo gaudet, si citrà se respicit, vel quibus ipsa proficiat, vel in quorum profectione consolationem de suo languore recipere possit.* Bernhardus denique. *Fidem*, inquit, *florem; fructum, acta intellige. Nec incongruè ut opinor id tibi videbitur, si advertas, quomodo instar floris necessariò præcedentis fructum, bonum quoque opus fide oporteat præveniri. Alioquin sine fide impossibile est placere Deo. Itaque nec sine flore fructus, nec sine fide opus bonum. Sed & fides sine operibus mortua est, sicut inutiliter quoque flos apparet, ubi non sequitur fructus.* Pia omnia nec Analogiæ fidei adversa. Non abs re facimus, si per phialas & mala consolationes Spiritus internas, earumque media, mellitissima Christi verba & suavissima opera intelligamus, quorum meditatione, memoriâ & sensu anima pia Jesu sui desiderio languens se sustentat & roborat, donec ejus præsentiâ beatificâ in æternitate fruatur: Sicut Sponsa Sponsi absentis amore languens, illius verbis & promissis, literis & munusculis, quæ apud se asservat, seipsam consolatur, tempusque fallit, donec is redeat, quem deperit, & ore ad os loquatur. Quàm egregiè verò phialæ ad cellam vinariam, Dulcedinis cœlestis subinde quidem guttulas fallas saltem quasdam imbibimus, subinde vero integros calices haurimus, adeò ut inebriemur. Quàm appositè mala ad arborem vitæ! gustando fructum, bonitatem arboris; & gustando svavitatem spiritus, Christi bonitatem percipimus. Cumulat nobis delicias suas sponsus dulcissimus, mala malis, & phialas phialis apponendo, oscula & dulces amplexus multiplicando. (3) *Forma* seu *modus*, verbis *fulciendi* & *stipandi* indicatus. Primum verbum in fonte est סמך, quod in genere *sustentationem* seu *stabilitionem* dicit, sivè ea fiat per fulcrum propriè dictum; sivè per aliquid quod fulcro est analogum. *Gen.* 27. 37. *Psal.* 51. 13. Sustentari rectè dicimur per phialas at non fulciri, etsi ipsum fulciendi actum

instant. 2.

Serm. 51. *in cant.*

ad amicas

ad amicas referas. Rectè tamen per analogiam etiam lagenas columnis & fulcris comparaveris. Sustinent nutantem animam, sed Jesu brachiis innixam. Columnæ sunt & quidem adamantinæ, quæ duratione sunt æternæ. Verbum alterum est רפד, quod in Cal apud Jobum intransitivè significat *sterni Jób. 17. 13.* Hic in Pihel transitivum, *sternere substernere.* Aben Ezra putat in lingua Ismaelitica idem esse quod *roborare.* Sed à genuina significatione non est recedendum. LXX reddunt στιβάσατέ με, quasi, *lectum pomorum mihi substernite*, quod optimè ad ægrotam, στιβὰς *stratum* notat *ex herbis*, & στιβὴ *herbam*, quâ in exstruendis stipadiis & foris utebantur, quâq; tomenti loco culcitras farciebant, apud Theophrastum. Nempè, quod *hist. p. 6.* advertitur in ægritudinibus corporalibus, ut languens, ne omni pe- *6. 1.* nitus careat delectatione, cubiculum sibi curet viridi fronde convestiendum, ac variis & odoratis floribus, promisve exornandum, quibus visum mœstumq; soletur animum: illud idem devota appetit anima, cùm humanos nequeat percipere gustus, divina verba audire exoptat, & toto laborat studio, ut opera sibi recensentur dilecti sui, quo in illis, tanquam in lecto molli & delicatulo, svaviter requiescat.

USUS *Didascalicus* demonstrat Characterem animæ sanctæ infallibilem esse ardentissimum Jesu amorem, & ex amore ortum desiderium; argumento *ab exemplo Sponsæ.* *Paideuticus* hortatur (α) ut Christum solum amemus, eum solum anhelemus, illius unico torqueamur desiderio; argumento tum *eodem*, tùm *ab utili*, quia non nisi ex ipso anima ægra refici potest. (β) ut ministerium verbi reverenter habeamus, tanquàm refectionis medium à Deo ordinatum. *Epanorthoticus* reprehendit eos, qui animæ quietem in mundanis quærunt, argumento tùm *à contrario Sponsæ exemplo*, tùm *ab impossibili*: quomodo enim quietem dabit quod ipsum non quiescit? quomodo infinitum implebit, quod ipsum finitum est? quomodo exsatiabit, quod imperfectum? *Paracleticus* solatur eos, qui in cruce omni humano destituuntur solamine. Quantò exterior homo magis desertus, tanto interior refectionibus Spiritus S. magis refertus. Plura suprà *de lætitia spirituali.*

CAPUT

CAPUT II.

DE

VARIATIONE THEMATUM.

§. 1.

NOn minus necessarium est scire, quomodo themata concionum variari possint, ne concionator cum tædio auditorum chordâ oberret eâdem, & ut ratione circumstantiarum aliis atque aliis rebus propositis majori cum fructu auditorium informet. Non enim eædem res omni tempore ac loco, omnibusque personis conveniunt.

§. 2. Hæ variandi rationes à variis variè proponuntur. Omnium optime illi faciunt, qui *methodum* formandi conciones distinguunt in *paraphrasticam*, seu textualem, & *dogmaticam* seu localem; prior *analytica*, posterior *synthetica* dicitur: *Illa* est, cum partes Propositionis sunt ipsa divisio textus, s. cum textus & explicationis est unus idemque scopus. *Hæc* est Propositio continens locum communem ex textu deductum, sic ut textus & explicatio ejus in scopo differant. *V. G.* Si textus doceat aut describat, explicatio verò hortetur aut consoletur.

§. 3. Hîc libertatem habet Concionator, ut possit vel methodo analyticâ, vel Syntheticâ uti, & thema eligere, quod ratione circumstantiarum maximè conveniens videtur, modo attendat, ne planè alienum sit à textu. Atque sic conciones ex uno textu licet non adeò prolixo, admodùm variari possunt, præsertim, si observetur cuique methodo variatio propria. Analytica enim ita variatur, ut semper observet scopum textûs, undè si textus est Didascalicus, necessario habet thema Didascalicum; si Paidevticus, Paidevticum. Synthetica verò variari potest, eligendo thema ex quocunque genere placet, idque tractando pro lubitu.

§. 4. Exemplum variationis Thematis in Methodo Analytica exhibet

exhibet Evangelium *Dominic. 1. Advent.* quod habet scopum Didascalicum: hinc cui placet id Analyticè tractare, variare quidem potest, sed ita ut semper doceat. *V. G.* primo anno *ingressum Christi in Jerusalem*; Secundo anno, *ingressus* hujus *antecedentia & consequentia.* Tertio, *Dictum illud Zacharianum insigne*, quod in textu exstat. Quarto *vaticinii hujus & eventûs harmoniam.* Mutare etiàm subindè potest locos communes, ut alias atque alias conclusiones ex textu eruat. Verum hæc variandi ratio specie distinctas methodos non facit, sed est unius saltem Methodi accidentalis mutatio.

§. 5. Methodus Synthetica variatur, vel sumendo thema novum, vel idem thema aliter atq; aliter disponendo. *V. G.* sit Evangelium *Dominic. 1. Advent.* Si placet thema Didascalicum, sit primum: *Documenta divinitatis Christi*: *Sapientia*, quâ vidit asinam & pullum alligatos, eorumque dominos primo obstinatos, postea cessuros; *Potentia*, quâ inflexit corda Dominorum, ut mox dimitterent jumenta: *Bonitas*, quâ ad urbem passioni suæ decretam ultro & cum festiva solennitate velut agnus ad victimam accessit: *Justitia*, quâ ingressus in templum ementes & vendentes ejecit. Secundum: *Officium Magistratus* ad exemplum Christi, & *subditorum*, ad exemplum Apostolorum & populi conformandum. *Magistratus* pollere debet tùm *autoritate*; hinc Christus se Dominum vocat: tùm *clementiâ*; hinc Christus jumento miti insidet & Rex mansvetus appellatur; tùm *pietate*; hinc Christus ingressum suum rectà ad templum instituit; tùm *misericordiâ* & liberalitate: Hinc Christus in templo languidos curat. *Subditos* decet tùm *obedientia*, sicut Apostoli ad nutum parent: tùm *reverentia*, sicut apparet in populo triumphante. *Tertium*: *Characteres verorum discipulorum Christi.* Quartum: *qualitas subditorum in Regno Christi.* Quintum: *modus suscipiendi Christum Spiritualiter advenientem.* Sextum: *Summa Christi humilitas & majestas.*

§. 6. Si arridet thema Elenchticum: sit vel contrà Judæos: I. *Messiam frustrà exspectari, quia jam venit.* II. *Christi Regnum mundanum non esse, quia nullâ hîc in ingressu Christi pompa mundana.* Vel contrà Pontificios. I. *Obedientiam Christo placentem non esse cultum electitium*: sed intra terminos mandati divini clausam. Ex verbis: discipuli ibant & faciebant sicut mandatum erat ipsis. II. *Fidem salvificam pro objecto habere*

habere non tantùm generalem, sed etiam specialem misericordiam Dei, ex verbis: Rex tuus venit tibi: hoc qui credit, sicut quilibet credere debet, fidem specialem habet, quod Christus in individuo ad se venerit. III. *Scripturam sacram esse unicam controversiarum fidei normam*, quia Matthæus ex Zacharia & Psalmis demonstrat Christum jam venisse. Vel contra Photinianos. 1. *Christum esse verum Deum*, ab attributis divinis. 2. *Christum non esse rigidum legislatorem ut Mosen*, quia venit mansvetus & salvator ad eos qui sub lege tenebantur.

§. 7. Si placet Thema Paideuticum. Sit 1. *Concordiæ studendum*; hinc eliguntur duo ex discipulis. 2. *bona opera facienda*: quid enim rami, nisi opera bona virore prædicata? 3. *Obedientia Christo in omnibus præstanda*, quod exemplo Apostolorum patet. 4. *Christus spiritualiter adveniens, verâ fide & animi subjectione suscipiendus*. 5. *Humilitati studendum*, exemplo tùm Christi, tùm discipulorum vestes suas Christo substernentium. 6. *Confessio de Christo publicè edenda*, exemplo populi triumphantis.

§. 8. Si eligis thema Epanorthoticum, sit 1. *Ne bona caduca, vel commodum nostrum præferamus gloriæ Christi & rebus spiritualibus*. 2. *Ne fastum luxumque mundi, præprimis in vestitu, amemus*. 3. *Magistratus ne premat subditos tyrannicè, nec subditi detrectent honorem ac obedientiam magistratui præstare*. 4. *Exuamus vestem veteris Adami & jugo Christi substernamus*. 5. *Ne simus desides in officio nostro*. 6. *Ne membra Christi patiamur penuriam pati*.

§. 9. Tandem in genere Consolatorio sit 1. *Non abjiciendum animum ob paupertatem & indigentiam*, exemplo Christi, qui & ipse fuit pauper. 2. *Non desperandum ob peccata in tentationibus spiritualibus*: Christus enim venit ut Salvator. 3. *Non succumbendum sub onere Magistratus*: Christus enim officium Magistratus in sua persona sanctificavit. 4. *Non despondendum animum in persecutionibus Ecclesiæ*; Christus enim mirabiliter excitare & alligere sibi populum in laudem suam potest.

§. 10. Quænam verò ex duabus hisce methodis sit præstantior, determinari vix potest. Existimo, neminem ad unam methodum adstringi posse, cum utraque suo loco & tempore conveniens sit ad informationem Ecclesiæ. Id tamen notandum 1. Ei qui

textum

textum antehac nunquam explicavit, methodo analyticâ utendum esse, ut & sibi & auditorio textum reddat familiarem. 2. Cum textus valde brevis est *V. G.* cum vel dictum aliquod, vel unica propositio explicanda, methodo Syntheticâ utplurimùm utendum. 3. Cum textum prolixiorem constringere cogitamus, & brevem ex eo concionem habere, methodum Syntheticam commodissimè usurpari. 4. cum parum temporis suppetit ad meditandum, convenientiorem esse methodum analyticam, quia est facilior, & ordinem in resolutione textus secundum artis præcepta observat: in Synthetica methodo autem tractandum thema quod actu in textu non continetur, sed excogitandum prius est, & dehinc videndum quænam ejus argumenta in textu contineantur.

CAPUT III.

DE VARIATIONE EXORDIORUM.

§. 1.

RAtione diversorum thematum etiam Exordia variant. Ut autem cognoscatur quodnam Exordii genus ad propositum concionis thema maximè quadret, attendendum ad quod Genus causæ pertineat thema.

§. 2. Si thema est Didascalicum, Exordium sumitur conveniens itidem ex genere Didascalico, adstruendo generalem thesin ab argumento, quod cum themate cognationem habet & in ipsa exegesi non tractatur. *V. G.* si *Domin. 1. Advent.* sit thema, *ingressus Christi in Jerusalem*; Exordium sumi potest vel à descriptione personæ ingredientis, vel ex loco comparatorum, à simili quodam aut exemplo. Possunt tamen ad thema Didascalicum Exordia etiam ex Genere Paidevtico usurpari, verùm nonnisi cum doctrina est ardua, difficilis & scitu necessaria, vel etiam singularem habet usum; tunc enim Exordia

dia desumi possunt vel à nobilitate, vel à necessitate, vel ab utilitate doctrinæ proponendæ. V. G. Si *Domin. 1. Advent.* sit thema: *Christus est verus Deus*, à necessitate hujus doctrinæ convenienter petitur Exordium.

§. 3. Si Concio est Elenchtica, iterum ex genere Didascalico commodè petuntur Exordia, ab argumento quod themati est conveniens. V. G. *Dominicâ citatâ*, sit thema contra Pontificios; *Scriptura est unica controversiarum fidei norma*: Exordium sumi potest à Scriptura in genere, vel ab ejus autore, vel à proprietate quadam. Sed quia istiusmodi concio versatur circa errores refutandos, Exordia specialius desumi possunt vel ab errantium multitudine, vel à periculo erroris, & turbis in Ecclesia inde ortis, vel ab effectu noxio: vel à facilitate errandi, vel ab oppositâ veritate, quæ ex aliquo inventionis loco desumi potest, & ejus studium commendari per argumenta generis Paidevtici. Convenienter hîc interdum adhibetur Exordium Epanorthoticum, si modestè objiciatur auditoribus negligentia in agnoscenda & tuenda veritate verbi: id tamen non adhibendum, nisi error jamdudum auditorum animos occupaverit.

§. 4. Si concio est Paidevtica, Exordia debent esse ardua & sublimia, ac sumuntur ut plurimum ex argumentis generis Paidevtici. V. G. ab utilitate, necessitate, jucunditate thematis proponendi, vel virtutis, quam commendare intendimus; à dignitate ejusdem, quæ amplificari potest vel per comparationem cum proprietate quadam Dei & Angelorum; vel per exaggerationem imbellicitatis nostræ; vel ab exemplo quodam Prophetarum aut Apostolorum, qui isti virtuti studuerunt. Convenientia hic etiam sunt Exordia Didascalica, sic ut objectum Generis Pedevtici V. G. virtus describatur à definitione, vel proprietatibus quibusdam, vel effectibus, vel ex alio quodam loco, quo nobis viam ad propositum thema sternamus *V. G. Dom. 1. Adv.* sit them. *Humilitati studendum est*: In exordio potest describi humilitas, vel à definitione, considerando illius genus, differentiam & proprietates quasdam; vel à subjecto in quo reperitur; vel à mediis eam consequendi.

§. 5. Si Concio est Epanorthotica, Exordium itidem quadrat Epanorthoticum, desumtum ab illo argumento, quod in Confirmatio-

firmatione thematis non attenditur. *V. G.* ab interdicto, indecoro &c. Attendendum quoque est objectum thematis Epanorthotici, s. vitium illud quod in concione castigari debet, atque tum exordium sumi potest, vel à multitudine peccantium, vel à magnitudine peccati, vel ab oppositâ virtute, eam commendando ex quibusdam locis inventionis, vel per genus Paidevticum, ejus necessitatem, utilitatem & dignitatem ostendendo, ut sic per obliquum ad oppositum descendatur. V. G. sit *Dom. 1. Adv.* thema; *dehortatio ab inconstantia.* Exordium peti potest vel à damno inconstantiæ, vel à necessitate perseverantiæ, vel à multitudine hominum huic vitio deditorum.

§. 6. Tandem si Concio est Paracletica, Exordia usurpantur humilia & submissa ex genere Didascalico, describendo hominem afflictum, vel crucem ejus ex aliquo loco inventionis. *V. G.* à genere, causa, fine, subjecto, opposito &c. Convenienter quoque hic desumi possunt exordia ab argumento quodam generis consolatorii, quod in thematis illustratione nou tractatur. *V. G.* à Dei providentia, vel ab exemplo quodam hominis pii & ex cruce liberati, vel à consequente lætitia &c.

CAPUT VI.

DE

VARIATIONE ELOCUTIONIS.

§. 1.

PRo materiæ diversitate etiam dicendi characteres variandi sunt. Tres autem dicendi characteres traduntur; *Sublime, mediocre* & *humile.* Ratio diversitatis sumitur apud profanos autores & Rhetores à rerum tractandarum differentia, quarum aliæ sunt magnæ & sublimes, aliæ parvæ & exiles, aliæ inter has mediæ. In Oratoria Ecclesiastica res omnes magnæ sunt, fidem ac salutem hominis concernentes: habent tamen suos dignitatis & necessitatis gradus, ut aliæ sint majoris momenti ac aliæ.

§. 2. Attendendum autem est ad causarum genera: prout enim concionator, vel docet vel refutat, vel dehortatur, vel consolatur; ita alio atque alio charactere utitur, atque sic conveniens est generi Didascalico character humilis & submissus, cum tantùm aliquid describimus & illustramus; mediocris, cum aliquid laudamus vel vituperamus. Elenchtico & Paidevtico interdum mediocris, interdum grandis: Epanorthotico grandis; Consolatorio mediocris aptissimus est.

§. 3. Ratio enim ipsa docet, quod, cum docemus vel informamus, idque fine affectibus, qui modus Didascalico generi conveniens est, non tantâ verborum copiâ, tot schematibus & tropis ornatâ utamur, quantâ in adversarium cum invehimur, vel peccatores reprehendimus, qui officium suum facere nolunt: neque necesse est, ut tanto verborum apparatu & pondere proferamus argumenta connectamusque, cum consolamur, quanto, cum refutamus, hortamur & increpamus. Proindè alia atque alia causarum genera, alias atq; alias connectendi formulas requirunt, vel sublimes, tropis & figuris ornatas; vel humiles concisas ac planas, omni figurarum ornatu destitutas; vel mediocres, interdum insperfis quibusdam luminibus Rhetoricis.

§. 4. Formulæ istæ concernunt tum genera universaliter, tum species diversas unius generis tantùm: tùm argumenta cuique generi propria, tùm etiam variationem thematum: ex quibus facile patescit, quibus formulis Exordia ab argumentis generum desumta inchoari & applicari possint.

§. 5. Formulæ generis Didascalici sunt: Dieses gibt uns einen heilsamen unterricht / daraus wir unsern Glauben bauen und bestätigen können. *Vel*, Seelig sind die / welchen GOtt diesen himlischen Schatz offenbahret hat. So thut er keinen Heiden / noch läst sie wissen seine Rechte. *Ps.* 147. 20.

